

DAVIDIS RUHNKENII
ORATIO
DE DOCTORE UMBRATICO

E D I D I T
HELGUS NIKITINSKI



NEAPOLI
IN ÆDIBUS VIVARII
MMI

ISTITUTO ITALIANO PER GLI STUDI FILOSOFICI

L'UMANESIMO EUROPEO

Series Latina

2

*bene vivamus et bona sunt tempora,
nos sumus tempora; quales sumus
talìa sunt tempora. AUGUSTINUS*





DAVID RUHNKENIUS.

*Viro Summo,
Jo. Aug. Ernesti
Dav. Ruhnkenius S. P. D.*

ex ed.: Ruhn. orat., vide *Titulorum compendia*, p. 20

DAVIDIS RUHNKENII

ORATIO

DE DOCTORE UMBRATICO

E D I D I T

HELGUS NIKITINSKI

NEAPOLI

IN ÆDIBUS VIVARII

MMI

Ruhnken, David (1723-1798)

De doctore umbratico [1761]

ed. Helgus [= Oleg] Nikitinski

© 2001 Istituto Italiano per gli Studi Filosofici

VIVARIUM

Piazza Santa Maria degli Angeli, 1

80132 Napoli

Italia

ISBN 88-85239-56-0

Illustrissimo baroni
GUILIELMO OSVALDO BENTINCK DE SCHOONHETEN
Batavorum apud aulam regiam Britannicam
cum publica auctoritate legato

s. p. d.

HELGUS NIKITINSKI

DUCENTESIMUS QUADRAGESIMUS ANNUS ipse est, cum Ruhnkenius, vir supra omnes quotquot saeculum XVIII latinitatis scriptores tulit, orationem De doctore umbratico dictam Guilielmo comiti de Bentinck ex iuniore stirpis tuae antiquissimae ramo dicaret. quaerenti mihi cui potissimum Ruhnkenium luci restitutum inscriberem, nulla mihi dubitatio fuit quin tuum huic editioni nomen praefulgeret. et sane verendum erat, ne si cui ex eodem scholasticorum hominum ordine in quo meum quoque nomen profiteor, de umbratico doctore orationem offerrem, hominem, etiamsi iniuria, significatione lacescere potius quam honorifice appellare viderer. tibi vero, in media rei publicae luce versanti quid tam insolitum quam umbra et vanae eruditionis latibula? quid porro magis ad te spectet quam eruditio homine liberali digna et illud Ruhnkenii de comite Bentinck in hac ipsa oratione iudicium, quem dicit “juvenili aetate Horatium ita trivisse, ut omnes ejus versus tanquam digitos suos nosset, sed exquisitiores ejus veneres et lepores tum demum, cum honorum cursu ad mores hominum, regum inprimis et principum, cognoscendos esset delatus, penitus

E P I S T U L A

percepisse”? tu (hereditarium enim est genti tuae in litteras studium) ab ineunte aetate litteris latinis atque graecis imbutus, humanitatis studia hodie quoque ad vitae usum plurimum valere putas, cum frigere honores divitiasque compertum habeas nisi animus rectus bonis artibus excultus accesserit vitamque sine humanitate temporis tantummodo esse propagationem, non vitam.

pauci sunt hodie, qui intellegant, optimis recentioris latinis monumentis magnam inesse artem atque ingentem ad animos commovendos vim. mihi quidem semper persuasum erat oratoriam nulli cedere arti, neque minus ingenio valere in arte sua Ruhnkenium quam, ut hoc utar, Georgium Fridericum Handel in modis suis canoris conficiendis. quaeras fortasse, quidnam causae esse, cur artem tam nobilem neglegant qui hodie sunt homines atque aspernentur? quid, nisi ignava vulgi, et eruditorum laboriosa, in omnes vitae partes pervagata barbaries? ad musicam audiendam auribus opus est; ut singularem latinae linguae maiestatem percipias, necesse est ut animum ignea ingenii vena adiutum bonis artibus excolueris. frui igitur, cum talem animum geras auresque sortitus sis eruditas, Ruhnkenio a turpi oblivione vindicato et studiis meis, sicut coeperas, fave.

dabam Monachii
ex sede Thesauri linguae Latinae,
a. d. VII Kal. Mart. a. MMI.

PRAEFATIO

ANNO 1761 RUHNKENTUS¹, praestantissimus latinitatis auctor, De doctore umbratico² quam inscripsit, in Academia Lugdunobatava, orationem habuit³, longe omnium quae in eodem argumento versabantur⁴ eloquentissimam, ubi genus

egregie me in studiis meis Rubnkenianis adiuverunt viri humanissimi Andreas Bouwman praefectus libris manu scriptis bibliothecae publicae Academiae Lugdunobatavae eiusdemque bibliothecae administer Ioannes Frankhuizen. haec omnia eleganter transcripta sunt amica opera Michaelis Angeli Costagliola Prochyntani et Friderici Valjavec Monacensis.

¹ De Ruhnkenio (David Ruhnken 1723-1798) praeter eximium ac pulcherrimum Wytttenbachii (Daniel Albert Wytttenbach 1746-1820) librum q. i. *Vita Davidis Rubnkenii* (postmodo afferetur: Wytt. *Vita*, adi "Titulorum compendia" post praef.) vide: *Tiberius Hemsterhuys und David Rubnken. Biographischer Abriss ihres Lebens. Für Freunde der Humanität und des Studiums der Alten insbesondere*, bearbeitet von Friedrich Theodor Rink, Königsberg 1801 (de oratione nostra agit p. 152-154), ubi tamen omnia fere ex Wytttenbachii *Vita Rubnkenii* petita invenies; Franz Egermann, in: *Pommersche Lebensbilder* 3, 1939, p. 69 sqq.; E. Hulshoff

Pol, *Studia Rubnkeniana*, Leiden 1953; Thomas Gelzer, "Zum *Codex Mosquensis* und zur Sammlung der Homerischen Hymnen" in: *Hyperboreus*, vol. 1 (1994), p. 113 sqq. et Nikitinski, *Serg.*, p. 31 sqq.; 203 sqq.

² celeberrimus Ioannes Christoph. Gottsched inde quaedam excerpit atque in theodiscum vertit et foras dedit in ephemeride q. i. *Das Neueste aus der anmuthigen Gelehrsamkeit* (1762), p. 701 sqq.

³ orationis memoriam praestabit tibi APPENDIX.

⁴ eorum operum indicem invenies in Append. V q. i. "De praepostera eruditorem diligentia sive de pedantismi

eruditorum taxavit qui in litteris tractandis praepostera diligentia laborant. huic vitio, quo ad hunc usque diem litterarum causa haud mediocriter premitur, pedantismi nomen indidit⁵, minus illud quidem latinum sed usu iam pridem receptum atque eorum scriptis celebratum, qui de simili re disseruerunt. atque prima quidem fronte scholarum magistros noster, non professores academicos insectari videtur⁶, propius tamen consideranti Wyttenbachii testimonium verissimum sese offert: “[...] Ruhnkenius doctorem umbraticum intelligebat universe eum, qui [...] ineptiis laboraret, nec Scholae potius Magistrum, quam Academiae Professore, spectaverat: scholasticum ordinem magni faciebat,

vocabulo et re. Accedit bibliotheca pedantismi et charlataneriae” in: Nikitinski, *Serg.*, p. 230-233 (illuc pertinent quoque: [Samuelis Pufendorffii] *Epistola curiosa*, s. l. 1689, f. D 1 sq.; Jo. Georgii Walchii *Historia critica latinae linguae*, Lipsiae 1716, p. 547 sq.; “Oratio de Doctrinae studiis nuper cultis, nunc vero neglectis” in Jacobi Perizonii Ant. Fil. *Orationes XII*, Lugd. Batav. 1740, p. 196. extat praeterea Antonii Cornelii Barkey *Dissertatio inauguralis Theologico-Exegetica, De Pseudo-Doctoribus quorum mentio fit 2 Pet. II. vs. 1. sqq. quam adnuente Deo ter Opt. Max. Ex Auctoritate Rectoris Magnifici Davidis Ruhnkenii, Historiarum et Eloquentiae in Acad. Lugd. Bat. Professoris Ordinarii ...*, Lugduni Batavorum 1767, ubi tamen nulla Ruhnkenii praeterquam in titulo mentio fit. huius dissertationis exemplar phototypice expressum liberalitati Alberti Röser Steinfurtensis debeo).

recenti tempore de vitiis professorum egregie egerunt A. van Gennep, *Les demi-savants*, Paris 1911; Ludwig Hatvany, *Die Wissenschaft des nicht Wissenswertes* [¹1909]. Annotations by A. Grafton. Preface: H. Lloyd-Jones. Foreword: J. Szentágothai. Oxford 1986; A. Sokal, J. Bricmont, *Impositions intellectuelles*, Paris 1997.

⁵ “Hoc Pedantismi vitium (utamur enim Gallico verbo, cum in Latina lingua satis aptum huic rei nomen non inveniamus), hoc igitur vitium tam late patet, nullus ut eruditorum ordo sit, quem non ejus contagio levius gravius infecerit” *doct. umbr.* 3, 11.

⁶ cf. “At Ruhnkenius Scholae Latinae, ut vulgo loquimur, Rectorem voluit: dixit enim ... ‘qui ferulam gestant’, idem ... ‘paedagogos’: quae sane non sunt *Professorum*.” Mahne, *Epist. sod. Socr.*, p. 19.

P R A E F A T I O

a nemine, nisi qui ipsas Literas contemneret, contemni posse judicabat, et quo magis laboriosum, eo majoribus praemiis laudibusque dignum censebat.”⁷ quid plura? hodie quoque longe turpiores esse solent academiarum⁸ professores quam in gymnasiis magistri⁹. quod autem ex ipso Ruhnkenio auditum narratur, doctorem umbraticum significasse “Augustinum scilicet Staverenum¹⁰, Scholae, quae dicitur Latinae, Rectorem, quocum ipsi et suo nomine, et Heusingeri amici causa, propter aemulationem edendi Nepotis, aliquid simultatis intercedebat”¹¹ non quidem mihi respuendum videtur neque absonum est, Ruhnkenium, cum telas orationis ordiretur, Staverenum aliqua ex parte respexisse¹²; sed omnia praepostere eruditorum vitia in Stavereni cuiusdam caput conlata adeoque Staverenum tantum traduci atque depingi nemini nisi communi sensu carenti persuasum esse potest¹³.

⁷ Wytt. *Vita*, p. 91. neque aliter Reichardt, p. 199.

⁸ i. e. “universitatum”.

⁹ apte ad haec Hugo de Hofmannsthal: “Man teilt die Sprachen bekanntlich in lebende und tote. Diejenigen, welche alle Sprachen so lehren, als ob sie tot wären, nennt man Philologen. Die anderen, welche die lebendigen Sprachen und die Sprache lebendig lehren, heißen nur Sprachlehrer. Sie werden von den Philologen verachtet, obwohl sich unter diesen die entsetztlichsten Menschen der Welt befinden, während unter den Sprachlehrern viele gut und geachtet sind.” Hugo von Hofmannsthal,

Gesammelte Werke, Frankfurt a. M. 1956, vol. 1, p. 300.

¹⁰ Augustin van Staveren 1704-1772.

¹¹ Mahne, *Epist. sod. Socr.*, p. 18. cf. “Intercesserat jam antea inter patrum Joannem Michaellem Heusingerum dissensio mutuaque reprehensio et Augustinum Staverenum Nepotis editorem, Gymnasii Lugdunobatavi Rectorem, Ruhnkenio ex illa hominum Scholasticorum offensione subiratum, qui se item doctoris umbratici nomine significari crederet.” Wytt. *Vita*, p. 126, et Reichardt, p. 197.

¹² cf. 5, 20 adn.

¹³ cf. 9, 11 adn.

quibus autem potissimum usus sit libris in oratione conscribenda, periculosum est aliquid certi velle constituere. atque inprimis quidem credideris nostrum Menckenii¹⁴ Lipsiensis libellum *De Charlataneria Eruditorum* multoties editum atque eruditorum sermonibus celebratum et Huberi¹⁵ Franequerani professoris dissertationem *De Pedantismo* respexisse¹⁶. re tamen perpensa videre licet Ruhnkenium cum tales auctores propter latini sermonis ineptiam contemneret, opera ista si omnino, certe fastidiose, inspexisse, atque ne quid inde sordium traheret, a phrasibus mutuo accipiendis diligenter cavisse, silva tantum rerum contentum. atque ista quidem coniectura consequimur; quod autem magis ad rem quam suscepimus enarrandam facit, in epistula inveni die 28 m. Mai. a. 1761 ad Ioannem Danielem Ritterum data, hisce verbis: “Legi puer in Germania Jani¹⁷ cuiusdam, ni fallor, levem nec magni momenti libellum de Doctoribus umbraticis¹⁸. Quo cum mihi cum maxime opus sit, illum Tecum feras, rogo.”¹⁹ nunc vero Ritterus Lugdunum eo temporis tractu non venit libelloque, uti credi par est, Ruhnkenium frustravit. eundem libellum aliunde licet petatum nostrum ob oculos habuisse, cum orationem componeret, vel ipsa qua usus est materies satis demonstrare videtur²⁰. verba tamen illius quem cum futilem abiectaeque prorsus eloquentiae auctorem cognovit nusquam recipit.

¹⁴ Johann Burkhard Mencke 1675-1732.

¹⁵ Ulrich Huber 1636-1694.

¹⁶ cf. Wytt., *Vita*, p. 89.

¹⁷ Daniel Friedrich Janus 1683-1760.

¹⁸ Ian. *doct. umbr.*

¹⁹ Ruhn., *orat.* p. 596.

²⁰ vide adnotationes meas. Ianus disputat de poesi, eloquentia, historia, arte critica, philosophia, mathesi aliisque rebus (e. g. de iuris scientia). Ruhnkenius non servato ordine rerum ista tamen inspexisse videtur.

P R A E F A T I O

cum omnes fere orationes aditiales²¹ saec. XVII et XVIII in Academia Lugdunobatava habitae curatius²² conscriberentur, Ruhnkenius tamen primus examinato verborum sententiarumque pondere, discusso fumo atque intempestivae eruditionis caligine orationem reddidit planam dilucidam suavitate eximia affluentem, ita ut si Ruhnkenium quidem orationem, quae aures animumque impleret, ceteros vero non orationes sed verborum quasdam intemperantes continuationes scripsisse affirmem, id non contumeliose, sed ad rei veritatem dictum videatur. quoniam qui a me locos universos Iani aliorumque eiusdem temporis scriptorum quibus usus sit Ruhnkenius in commentarium tralatos expectant, curiosius agunt quam necesse est, cum oratio eius non propter rerum novitatem sed tractandi illa nemini imitabili arte prae ceteris emineat.

umbratici vero doctoris locutionem²³, quae Ruhnkenio a quibusdam eruditis minime illis quidem proletariis, quod sensu “qui

²¹ orationes quae vulgo “inaugurales” dicuntur, melius utcumque “aditiales” dixeris. locutionem “oratio aditialis” reperies in Ruhnkenii epist. ad Heynium a. 1763, in: Ruhn. *orat.*, p. 664; sed alias temporibus concedit (“oratio inauguralis” epist. ad Ritterum a. 1761, ib. p. 593 et a. 1796 in epist. ad Fridericum Augustum Wolfium, ib. p. 741). Eichstadius (Heinrich-Karl Abraham Eichstädt 1772-1848), scriptor in paucis latinissimus, “orationem aditalem” praetulit, cf. inscriptionem libri q. s.: *Quaestionum philologicarum specimen orationis aditialis causa proposuit* Henr. Carolus Abr. Eichstaedt, Lipsiae 1796.

²² cf. “Solet hic ex Orationibus augurium capi successus futuri.” epist. ad Ritterum, d. 21 Iul. a. 1761, in: Ruhn. *orat.*, p. 598.

²³ atque iam pridem Henricus Christ. Henninius (Heinrich Christian de Hennin 1658-1704) in *umbraticum hominum genus* invehebatur: “Certe cum severiora studia absque Humanitatis temperamento in meram Barbariem degenerent; quis non videt, recte et ordine facere illos, qui animum Humanioribus prius non nihil excultum ad severiora transferunt. Non equidem patrocino umbratico illi hominum generi, qui paedagogico

umbra atque latebris delectatur atque nihil quod ad communem fructum et utilitatem pertinet producit” minus latina esset imputabatur²⁴, neque latinitati refragari neque ab usu recentioris aetatis scriptorum alienam esse constat, cum umbratici vocabulum, sicut theodisca quoque vox Stubengelehrter²⁵ in utram-

fastu tumentes alios superbissimo supercilio despiciunt, et tum demum sapere se putant, si vibrare norint pictas quasdam sententias, mellitisque ludere verborum globulis, si levisimam quandam Literarum tincturam habuerint, si sciverint, cur Achilles Pelides dicatur, et quare Hecuba in canem versa feratur, et similes nullius aut parvi omnino momenti observatiunculas.” Henrici Christiani Heninii ΕΛΛΗΝΙΣΜΟΣ ΟΡΘΩΔΙΟΣ. *Seu Graecam Linguam non esse Pronunciandam secundum Accentus; DISSERTATIO PARADOXA, qua Legitima et Antiqua Linguae Graecae Pronunciatio et Modulatio demonstratur: atque obiter de Linguis earumque fatis disputatur ...* Trajecti ad Rhenum 1684, f. 6^r. cf. Ruhn. *doct. umbr.* 5, 22 sq.

et similiter apud Iacobum Perizonium vituperabantur “umbratici Doctores, qui tantum mellitos verborum globulos spargerent, nihilque ex iis, quae in usu habentur, proferrent” (Perizonii *orat.*, p. 20) quibus opponuntur ii qui “in ipsa Reip. luce versabantur, et | Facundiae vim rebus magnis, ut oportet, multo cum successu et gloria applicabant.” ib. cf. Gerretzen, *Schola Hemst.*, p. 62. et Ruhn. *doct. umbr.* 5, 6 sq.

²⁴ cf. “Ruhnkenius quidem nimium festinanter arripuit appellationem ‘doctoris umbratici’, et in malum sensum convertit, quae veterum ratione et usu honestam habet significationem, omnibus doctoribus scholas habentibus communem, Philosophis et Rhetoribus, Platoni, Aristoteli, Quintiliano, Longino, horumque simillimo cuique: volebatque ipse notum aliquem illo tempore Scholae Rectorem, non Professorem [...]” designari. [D. Wyttenbach], *ΦΙΛΟΜΑΘΙΑΣ ΤΑ ΣΠΙΟΡΑΔΗΝ. Γ. Miscellaneae doctrinae liber tertius*, Amstelodami, 1817, p. 193, et *Antibarb.*, 2, 691; Mahne, *Epist. sod. Socr.*, p. 237.

²⁵ egregie de hoc vocabulo egit Godofredus Hermannus in oratione de laudibus Reizii (Friedrich Wolfgang Reiz 1733-1790): “Wer ihn sah, musste sogleich den Stubengelehrten in ihm erkennen. Aber dieses Wort hat eine doppelte Bedeutung. Versteht man darunter, wie gewöhnlich, einen Mann, der für nichts weiter Sinn hat als für sein Geschäft; der alles gering schätzt, was nicht zu seinem kleinen Kreise gehört; der eben darum selbstüchtig und stolz ist auf die Wichtigkeit seines Treibens; einen starren

P R A E F A T I O

que partem²⁶ sumi possit atque – ut de Iano²⁷ Menckenioque²⁸ ceterisque minus probatis latinitatis scriptoribus taceam – optimi etiam auctores inde a Petro Cunaeo²⁹ usque ad Henricum Caro-

Leichnam mit offenen Augen, der es nicht merkt, dass er gestorben ist: so war Reiz von diesem allen gerade das Gegenteil: Denkt man sich hingegen unter einen Stubengelehrten den, der in seine Studien vertieft mit der Aussenwelt wenig in Berührung kommt, ihren Formen fremd ist, nichts von angelehrtem Schein an sich hat, sondern sich giebt wie er ist: so war Reiz in dieser Bedeutung allerdings ein Stubengelehrter.“ *Über Friedrich Wolfgang Reiz*, in: Godofredi Hermanni *Opuscula*, Lipsiae 1877, vol. 8, p. 455 sq. bene de “Musarum umbraculis” sentiebat Perizonius, vide Ruhn. *doct. umbr.* 3, 1 adn.

²⁶ cf. e. g. “umbraticola, umbraticus i. e. qui in lucem prodire non audet, qui in umbra otioque versatur.” *Lexicon Latinae Linguae Antibarbarum. In quo, ex optimis hujus Linguae Auctoribus vera via ad puritatem Scribendi loquendique panditur*, Auctore Joanne Fridenrico Noltenio ..., Venetiis 1743 [= prim. ed. Helmstadii 1740], p. 515. vellem tertiam huius lexic editionem inspicere, quae mihi in praesenti non ad manum est.

²⁷ “Umbraticus doctor, ab umbra dicitur, ac idem est, ac scholasticus, qui in cella sua latitat.” Ian. *doct. umbr.*, p. 1 sq.

²⁸ sic honorum cupiditatem apud eruditos, quos doctores umbraticos appellat insectatur: “ecquis est | hodie inter Doctores umbraticos, cui idem [egit paulo ante Menckenius de ridiculis Excellentissimorum, Clarissimorum, Spectabilium compellationibus] (quandoquidem usus est vocabulorum tyranus) jure optimo maximo non competat: ut insanire prope modum videantur hoc tempore, qui apud nos, ut Bullialdus quondam inter Polonos, Excellentiae compellationem non | admiserit.” Jo. Burch. Menckenii *De charlataneria eruditorum declamationes duae*, editio tertia emendatior, Amstelodami 1716, p. 15-17.

²⁹ Peter van der Kun 1586-1640. cf. “Ille, postquam diu screavit et sapientem barbam manu bis terve permulsit, tandem dicere quaedam orditur, sed adeo putida et insulsa, ut referre pigeat. [...] multa de honesto dicturum se promittebat deque utili et necessario et alia huiuscemodi, quae ab umbratico doctore adolescentes discunt in schola nec unquam in foro dediscunt | viri.” P. Cunaeus, *Sardi venales*, cap. XXI, § 52, in: *Two neo-latin Menippean Satires*, ed. C. Mattheussen, C. L. Heesakkers, Leiden 1980, p. 132 sq.

lum Abraham Eichstadium³⁰ non dubitanter in malam flexerint partem³¹.

quod Ruhnkenio in edendo Mureto³² idem fere mihi in Doctore umbratico typis mandando consilium fuit³³, scilicet, ut

³⁰ cf. "Nam iudicia philologorum erunt fortasse qui repudient, tamquam hominum umbraticorum et obsoletae disciplinae mancipiorum, quamquam qui Jo. Matthiam Gesnerum norit, hunc certe ab illorum numero segregabit." Henrici Caroli Abraham Eichstadii ... *Oratio de Christiano Thomasio mutati in scholis Germaniae academicis sermonis auctore*, Jenae 1837, p. 9.

³¹ cf. e. g. Gronov. ad Plaut. *Cur.* 556: "Umbraticus: homo in umbra educatus, et ignavus; non sub dio, et strenuus." M. Acci Plauti *Comoediae*. ... Ex recensione Ioh. Frederici Gronovii, Lugd. Batavorum 1664, p. 258. "Umbraticus, a, um. verborgen, dem Schatten ähnlich, oder gleichsam aus dem Schatten hervorkommend, schülerhaft. *Metaph.* Doctor umbraticus, ein Lehrer, der zwar gelehrt seyn will, jedoch seine Gelehrsamkeit entweder aus Neid und Hochmuth nicht vor andern zeigt, oder aber immer vor sich in obscuro lebet. Vulgò ein Pedante. *Petron.* Homo umbratilis, ein Faullentzer. *Plaut.*" Adami Friderici Kirschii *Abundantissimum Cornucopiae Linguae Latinae et Germanicae selectum* ..., editio novissima ... Ratisbonae et Viennae 1750, p. 1250.

cf. praeterea interpretes ad Petr. 2, 4 in: Titi Petronii Arbitri *Satyricon* ... Curante Petro Burmanno, Amstelredami 1743, t. 1, p. 13. Petronii *doctorem umbraticum* Schelleri interpretes Belgae non refragante Ruhnkenio reddiderunt "schoolleeraar, die zich niet openlijk vertoont." I. J. G. Schelleri *Lexicon Latino-Belgicum auctorum classicorum* curante Davide Ruhnkenio, Lugduni Batavorum 1799, t. 2, p. 1651.

³² Marc Antoine Muret 1526-1585.

³³ "Mureti opera omnia ad fidem editionum Aldinarum recensere coepi, adpersis notulis, ubi Muretus, quamvis scriptor unus omnium tersissimus, a vera Latinitatis ratione aberasse videbatur. Hoc consilium natum est ex offensione, quam mihi novitiorum Criticorum infantia movit. Quibus si Mureti lectionem commendaro, id assequar fortasse, ut, jejunitate ista repudiata, de rebus Criticis paullo disertius elegantiusque loquantur." Ruhn. *orat.*, p. 699. "Unus enim recentiorum fuit Muretus, cujus oratio proxime ad optimorum Veterum, maxime Ciceronianam, formam accederet, qui de tenui argumento ornate, de obscuro dilucide, de gravi magni-

P R A E F A T I O

dicendi periti otium oblectent, ceteri vero videant quid sit scire latine. nam pauca illa quae minus latina videri possunt minoris certe momenti sunt, nec dubito quin Ruhnkenius si orationem denuo edere institueret, quaedam emendaturus esset³⁴, sicut in altera Elogii Hemsterhusii³⁵ editione nonnulla felicius eum dixisse videmus.

orationem dedi ad fidem primae editionis, quae est a. 1761. capita et paragraphos ex meo arbitrio apposui, litterarum com-

ficie, de omni pure, emendate, suaviter scriberet. Cumque vulgo nostra aetate, qui se Veterum interpretes ferunt, nullam magnopere bene scribendi vel rationem vel facultatem habeant, cumque turpissimum sit iis, qui Veterum elegantias aliis enarrent, ipsos uti sermone barbaro et lutulento; Ruhnkenius hunc extraordinarium celebrandi Mureti laborem suscepit; ut haberent exemplum, in quod intuentes, de rebus sive antiquis, sive novis, antique scribere discerent." Wytt., *Vita*, p. 201.

³⁴ cf. "[...] omnino quod Ruhnkenius a Musgravio dictum alicubi refert [sc. in Ernesti *Initiis doctrinae solidioris* omnia esse latina excepto titulo (vide 5, 2 adn.)] idem quis de hac illius oratione [sc. *De doctore umbratico*] dicat, ita quidem ut non solum in titulo, sed in ipso ejus contextu quaedam relicta sint minus Latina: quae progressu aetatis, ut fit, rectius didicit, et correcturus erat, si novam ejus editionem fecisset: quam ut Elogio Hemsterhusii impertivit, sic non

item huic orationi [sc. *De doctore umbratico*] destinaverat, multis jam partibus aliter sentiens, et veterem ejus invidiam renovare nolens; Valckenario praesertim aliisque collegis, quorum judicio multum tribuebat, haud paucos illius opusculi locos improbantibus." Mahne, *Epist. sod. Socr.*, p. 238 (cf. ib. p. 19); ad quae verba Bergmanus adnotavit: "Quae autem sint illa minus Latina, vellem in tironum gratiam exemplis aliquot ostendisset Vir eruditissimus" (in: Ruhn. *orat.*, p. XXXII). equidem spero hanc meam editionem votum istud aliqua ex parte implevisse.

³⁵ ed. pr. 1768, ed. post. 1789; cf. "Elogium Hemsterhusii castigatius prodiit [anno 1789], compluribus locis ad proprietatem, perspicuitatem, efficaciamque dictionis reformatis: quod vix fieri potuisse videatur in libro, qui jam e prima editione tam cultus politusque exiisset. Sed nimirum triginta annorum intervallum et orationis scientiam auxerat, et limam acuerat." Wytt., *Vita*, p. 200.

modo consulens. commentario an aliquid profecerim, praeterquam quod ipse memet doctoris umbratici nomen sane speciosum assecutum esse video, dubium mihi est. quare adnotationes ad calcem libri detrusi, scilicet uti curiosis tantum oculis inservirent, partim res quasdam minutas temporumve rationes partim vocabula tractando. illas autem adnotationes ubi Ruhnkenius ab usu aureae latinitatis recederet, non eo quidem consilio aspergebam, ut scriptorem politissimum arguerem meumve iudicium legentibus inculcarem (oportet enim libera esse iudicia) nedum uti doctrina quae in me perquam mediocris cadit mirabilis evaderem, sed ut legem – mea quidem sententia duram atque iniquam³⁶ – qua tamen ipse secum agi voluit³⁷, tamquam speculum ei opponerem, quo melius perspici posset quid ille aureae latinitati, quid sibi, quid denique suo saeculo deberet. quod restat, veterum in commentario auctorum locos ubique adducere supersedi, ut qui probe sciam, quam minimo ingenii nisu tales divitiae subsidii electronici ope hodie converrantur.

³⁶ equidem cum latine scribere conor, latius mihi usque ad argenteae latinitatis copias quin etiam optimum quemque recentiorum excurrere fas esse puto. et omnino non ad singulos auctores sed ad indolem linguae latinae scribendum. hac de re fusius actum in: Nikitinski, *Serg.*, p. 25 sqq. at sunt hodie qui cum ipsi lingua latina male utantur, aliis quoque barbariem suam tamquam loquendi normam venditent. isti assem parent et Erasmus audiant, qui artes extenuantibus et dicentibus non opus esse

facundia respondisse fertur: nec opus esse barbarismis et soloecismis.

³⁷ Cicero, Terentius, Cornelius Nepos et ut quisque eorum simillimus norma ei dicendi fuit, cf. 9, 6 adn.; 9, 7 adn. et Wyt., *Vita*, p. 138: “omnem scribendi diligentiam in una ponebat Latina oratione: et cum illa consuetudine, tum sua natura, id consecutus est, ut [...] immunis ab hujus saeculi labe, aurea Latinarum aetate Literarum in Latio natus institutusque videretur.”

P R A E F A T I O

ceterum quamvis me in hac oratione edenda rei difficultas non fugeret multaue adhuc incohata et rudia curae meae superesse viderem, audendi tamen ratio³⁸ potior visa est.

³⁸ cf. "Im übrigen muß sich der Verfasser mit den Worten Jakob Grimms trösten, daß man unter dem Greifen nach der neuen Frucht auch 'den Mut des Fehlens' haben dürfe." Georg

Ellinger [1859-1939, vir meliore saeculo dignus], *Geschichte der neulateinischen Literatur Deutschlands im Sechzehnten Jahrhundert*, Berlin/Leipzig 1929, vol. 1, p. XIV.

NIKITINSKI

TITULORUM COMPENDIA*

Antibarb.

J. Ph. Krebs, J. H. Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel 1905, 2 voll.

Ernesti, *Init. doct. solid.*

Initia doctrinae solidioris auctore Io. Augusto Ernesti, Lipsiae 1796 [prim. ed. 1736].

Gerretzen, *Schola Hemst.*

Jan Gerard Gerretzen, *Schola Hemsterhusiana. De berleving der grieksche studien aan de nederlandsche universiteiten in de 18. eeuw van Perizonius tot en met Valckenaer*, Nijmegen/Utrecht 1940.

Ian. *doct. umbr.*

Danielis Friderici Iani *De doctoribus umbraticis eorumque variis incommodis in republica litteraria commentarius. Accedit eiusdem dissertatio Lipsiensis de nimio latinitatis studio...*, Vitembergae 1720.

Ian. *nim. lat.*

ib. [ceterum simile opus iam antea scripsit Christianus Uhlich, *Dissertatio philologico-historica de nimio latinitatis studio*, Lipsiae 1712].

KS R. Kühner – C. Stegmann, *Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache*, Hannover 1914, 2 voll.

* *ceterorum librorum inscriptiones integrae praefationi atque adnotationibus inseruntur.*

P R A E F A T I O

LHS J. B. Hofmann – A. Szantyr, *Lateinische Syntax und Stilistik*, München 1972.

Mahne, *Epist. sod. Socr.*

Epistolae sodalium Socraticorum Philomathiae cum praefatione et appendicibus Guilielmi Leonhardi Mahne, Zierizeae 1813.

Mencken. *charlat.*

De charlataneria eruditorum declamationes duae; auctore J. B. Menckenio, Lipsiae 1715.

Nikitinski, *Serg.*

Sergius sive de eloquentia grammaticorum libri duo (= *De eloquentia latina saec. XVII et XVIII dialogus* auctore Helgo Nikitinski, Neapoli 2000).

Perizonii *orat.*

Jacobi Perizonii *Oratio De usu atque Utilitate Graecae Romanaeque Linguae, Eloquentiae, Historiae, et Antiquitatis, in Gravioribus Disciplinis. Dicta publice Nonis Quinctilibus 1693. Quum Historiarum, Eloquentiae, et Graecae linguae in Academia Lugduno-Batava docendae professionem susciperet.* Lugduni Bataavorum 1693.

Reichardt

Walther Reichardt, “David Ruhnkens Doctor Umbraticus”, in: *Neue Jahrbücher für Pädagogik* 26 (1910), 191–211. [idem Valtharius Reichardt Ruhnkenii *De doctore umbratico* orationem in usum, ut opinor, scholarum edididit s. a, s. l. [Ienae 1906], quae tamen editio negligi potest, cum praeter Ruhnkenii verba nihil proferat].

Ruhn. *dict. ad Ovid.*

Dav. Ruhnkenii *Dictata ad Ovidii Heroidas et Albinovani Elegiam.* Nunc primum edidit Frid. Traug. Friedemann, Lipsiae 1831.

Ruhn. *orat.*

Dav. Ruhnkenii *Orationes, dissertationes et epistolae*. Cum suis aliorumque adnotationibus edidit Frid. Traug. Friedemann, Brunswigae 1828.

Ruhn. *Rutil. Lup.*

P. Rutilii Lupi *De figuris sententiarum et elocutionis libri duo*. Recensuit et annotationes adjecit David Ruhnkenius. Accedunt Aquilae Romani et Julii Rufiniani de eodem argumento libri. Lugduni Batavorum 1768.

Ruhn. *Schol. in Suet.*

Dav. Ruhnkenii *Scholia in Suetonii Vitas Caesarum*. Edidit Jacobus Geel, Leidae 1828 [ed. anast. Amsterdam 1966]. de hoc libro egit Arnoldus Gerardus Wientjes in disputatione litteraria quam scripsit *De Jacobo Geelio philologo classico*, Lugduni Batavorum 1909, p. 14-16.

Ruhn. *Vell.*

C. Velleii Paterculi *quae supersunt ex Historiae Romanae ...* curante Davide Ruhnkenio, Lugduni Batavorum, 1779, 2 voll.

Seyffert – Müller, *Lael.*

M. Tullii Ciceronis *Laelius ...*, bearbeitet von M. Seyffert. Zweite Auflage, besorgt von C. F. W. Müller, Leipzig 1876.

ThlL Thesaurus linguae Latinae.

Wolf, *Kl. Schr.*

Fr. Aug. Wolf, *Kleine Schriften*, hrsg. G. Bernhardy, Halle 1869, 2 voll.

Wytt., *Vita*

Vita Davidis Ruhnkenii auctore Daniele Wytttenbachio, Lugduni Batavorum et Amstelodami 1799.

DAVIDIS RUHNKENII
ORATIO
DE
DOCTORE UMBRATICO,

Publice dicta in

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A. D. XXI. Septembris MDCCLXI.

Quum ordinariam Historiarum & Eloquentiae
Professionem auspicaretur.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS;
Academiae Typographos, MDCCLXI.

16 x 19,5 cm.

ILLUSTRISSIMIS ET SPLENDIDISSIMIS

VIRIS,

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

CURATORIBUS,

GUILIELMO

COMITI DE BENTINK,

RHOONAE ET PENDRECHTAE DOMINO, EQUESTRI
HOLLANDIAE ORDINIS MEMBRO, EJUSDEMQUE NO-
MINE IN CONESSU DELEGATORUM HOLLANDIAE
ORDINUM PRINCEPEM LOCUM TENENTI, AGGERIBUS
ET VIIS RHENOLANDIAE CURANDIS SEPTEMVIRO,
ETC. ETC.

MARTI
CORNELIO DE WITT, J. C.

JAARVELDIAE DOMINO, CIVITATIS DORDRACENAE
SENATORI ET CONSULARI VIRO, EJUSDEMQUE CIVI-
TATIS NOMINE ILLUSTRIS COLLEGI ARCHITHALAS-
SICI, QUOD AD MOSAM EST, ASSESSORI, ETC.

PETRO STEYN, J. C.

ORDINUM HOLLANDIAE CONSILIARIO ET SYNDICO
SUPREMO, MAGNI SIGILLI CUSTODI, SUPREMAE CU-
RIAE FEUDALIS PRAESIDI, EJUSQUE TABULARII
PRAEFECTO, AGGERIBUS ET VIIS RHENOLANDIAE
CURANDIS SEPTEMVIRO, ETC.

DAVID RUMKENS
A 2

EO-


EORUMQUE COLLEGIS
AMPLISSIMIS NOBILISSIMISQUE
VIRIS,
CIVITATIS LEIDENSIS CONSULIBUS,
NICOLAO VAN DE VELDE, J. C.
CONSULARIS COLLEGII CUM MAXIME PRAESIDI, ETC.
JOHANNI VAN DER MARCK,
AEGIDII FILIO, J. C.
PETRO CUNAE O, J. C.
HENRICO VAN BUREN, J. C.

I T E M
SPECTATISSIMO CONSULTISSIMOQUE
VIR O,
JOHANNI VAN ROYEN, J. C.
CIVITATIS LEIDENSIS SYNDICO, ET ILLUSTRIS CU-
RATORUM CONSULUMQUE COLLEGIO AB ACTIS,

*Hanc Inauguralem Orationem,
qua par est, reverentia.*

D. D. D.
DAVID RUHNKENIUS.

DAVIDIS RUHNKENII
ORATIO INAUGURALIS
DE
DOCTORE UMBRATICO.



MAGNIFICE RECTOR.

ILLUSTRISSIMI ET SPLENDIDISSIMI ACADEMIAE
CURATORES.

AMPLISSIMI NOBILISSIMIQUE HUIUS CIVITA-
TIS PRAETOR, CONSULES, JUDICES, QUI-
QUE IIS A CONSILIIS ET AB ACTIS ESTIS,
VIRI GRAVISSIMI.

CLARISSIMI ATQUE ERUDITISSIMI OMNIUM
DISCIPLINARUM PROFESSORES.

QUI TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ES,
VIR SPECTATISSIME.

A 3

MEN-

6 DAVIDIS RUHNKENII


MENTIS DIVINAE INTERPRETES FIDISSIMI ET
DISERTISSIMI.

MATHESEOS PRAELECTOR ACUTISSIME.

OMNIUM ARTIUM DOCTORES INGENIOSISSIMI.

CIVES ET HOSPITES OMNIS ORDINIS, LOCI,
ET DIGNITATIS ORNATISSIMI.

TU DENIQUE LECTISSIMA JUVENTUTIS CON-
CIVIO, NOSTRA CURA ET VOLUPTAS.

um ante quadriennium eoque amplius ex
hoc illustri atque edito loco, auspicii caus-
sa, verba facerem, etsi animo non me-
diocriter conturbabar, tamen me erigebat
sustentabatque ipsius muneris, tum mihi delati, co-
gitatio, quod non tam disertam & rhetorum artifi-
ciis expolitam orationem, quam nudam argumenti e
Graecis literis hausti enarrationem postulabat. Ho-
diernus autem dies majorem mihi curam & sollicitu-
dinem injicit. Etenim non satis est, locum mi-
nus tritum, & ab Historiarum tradendarum munere
non alienum, ex vetustatis memoria depromere,
nisi hic idem omnibus verborum sententiarumque
lumi-

ORATIO DE DOCTORE UMBRATICO

publice dicta in Academia Lugduno-Batava

A. D. XXI SEPTEMBRIS MDCCLXI

quum ordinariam Historiarum et
Eloquentiae professionem auspicaretur.

1, 1 **C**UM ANTE QUADRIENNIUM eoque amplius ex hoc illustri
atque edito loco, auspicii caussa, verba facerem, etsi
animo non mediocriter conturbabar, tamen me erigebat
sustentabatque ipsius muneris, tum mihi delati, cogitatio,
quod non tam disertam et rhetorum artificiiis expolitam
orationem, quam nudam argumenti e Graecis literis hausti
2 enarrationem postulabat. Hodiernus autem dies majorem
mihi curam et sollicitudinem injicit. Etenim non satis est,
locum minus tritum, et ab Historiarum tradendarum mu-
nere non alienum, ex vetustatis memoria depromere, nisi hic
idem omnibus verborum sententiarumque luminibus ita
3 frequentetur, nemo ut unus, quin Eloquentiae etiam Pro-
fessio in loco posita sit, in dubium vocare possit. Verum
multo vehementius commoveor et loci, in quem prodeo,
splendore, et muneris, quod auspico, amplitudine et gra-
4 vitate. Est haec propria et perennis hujus Academiae gloria,

p. 7 (ed. a. 1761)

illustrari magnis in omni doctrinarum genere viris, in hac
 autem humanitatis disciplina sine exemplo maximis. Nam 1, 5
 ex quo ille inprimis, omnium, quotquot fuerunt, aut fortasse
 futuri sunt, Literatorum princeps, Josephus Scaliger, Bata-
 vam gentem incorrupto veritatis et elegantiae, quae priscis
 Graecorum Latinorumque monumentis continetur, gustu
 imbuit, hujus Academiae fasti, quot humaniorum literarum
 Professores, totidem prope heroas ostendunt. Omnes ne 6
 commemorem, quis ignorat Dan. Heinsii, Jo. Fred. Gro-
 novii, Jac. Perizonii et P. Burmanni consecrata ad omnem
 posteritatis memoriam nomina? Adhuc, non dicam in ani-
 mis, sed paene in oculis nostris versatur recondita Vir eru-
 ditione, et de laudandarum artium studiis praeclare meritis,
 quem nuper acerbo funere extulimus, Franciscus Ouden-
 dorpius. Talium virorum partes cum excipiendae sint, nemo 7
 est, quantumvis ingenii et doctrinae copiis affluat, quin se
 sacro quodam horrore corripere sentiat, nedum ego, qui tanta
 rei facultatem ut assequerem, optavi quidem semper, asse-
 p. 8 cutum me esse, nunquam existimavi. | Neque haec tenui- 8
 tatis meae conscientia linguam tantum, per se satis infantem,
 debilitat, sed omnem etiam laetitiae, ex novo honore hau-
 riendae, sensum, si non excutit e pectore, hebetat certe
 atque obtundit. Verum enim vero demissum animum allevat 9
 Vestra, Ornatissimi Auditores, de me spes et opinio, quam
 ore vultuque ad festivitatem composito significatis: recreat
 inprimis atque confirmat honorificum sapientissimorum
 Academiae Moderatorum de me iudicium, cui eo minus dif-
 fidere par est, quo longius et humilis pensatio abfuit, et

- 1, 10 blanda munerum conciliatrix, gratia. Etenim, quae singularis summorum virorum est prudentia, non temere me in hunc altiozem locum provexerunt, sed Graecarum literarum praelegendarum provincia mihi demandanda, per
- 11 quadriennium virium mearum periculum fecerunt. In qua administranda cum me talem gessissem, qualem maxime voluerunt, idoneus illorum iudicio visus sum, cui publicam Historiarum et Latinarum literarum disciplinam delegarent.
- 12 Nec ignorabant illi, Graecarum Latinarumque literarum studium nuper se, quorundam hominum inertissima segnitie, scidisse, ut, quae olim unae eademque, nunc duae prope
- 13 diversae artes esse videantur. Sed cum iidem praeclare didicissent, has literas ipsa natura et genere ita colligatas implicatasque teneri, ejusdem ut sit dementiae, Latinas a Graecis divellere, et navim communem cum socio dividere, verissime | statuerunt, tanto quemque meliorem esse Latinarum literarum magistrum, quanto meliorem Graecarum, et tanto meliorem Graecarum, quanto meliorem Latinarum. p. 9
- 2, 1 Jam praetervectus scopulum, in quo ne pudor meus offenderet, verebar, liberiore magisque soluto animo ad dicendi argumentum accedo, quod, ut spero, bonum omen novi honoris auspiciis faciet, eritque huic loco et tempori accommodatum. Omnium fere, in simili munere adeundo, orationem vel in lireris commendandis, vel in caussis, cur illae labantur et ad interitum vergant, inquirendis video consumi.
- 3 Quas quidem caussas cum alii aliunde repetant, hi vehementius invehuntur in juventutis desidiam et mollitiem: illi parentes objurgant, qui ad ambitionis vanitatem, et quaestus

humilitatem referant omnia, ad cultum ingenii nihil: hi
 ingens, quod nuper exarsit, vernacularum linguarum exco-
 lendarum studium Graecas Latinasque literas e medio
 pellere indignantur: illi denique bonas artes, potentium
 virorum patrocinio orbatas, sic concidisse, graviter con-
 queruntur. Vere omnes ac merito: quis neget? At mihi in 2, 4
 hanc cogitationem incumbenti, quicumque in hoc argu-
 mento copiosissime sunt diligentissimeque versati, visi sunt
 praecipuam, quae literarum fundum affligit, calamitatem vel
 plane transiisse, vel leviter attigisse, sive quod ejus rei expli-
 catio aliquid invidiae habitura vide|retur, sive quod semet
 ipsi imprudenter traducere nollent. Profecto, quae vulgo 5
 Musis infesta creduntur omnia, non tantam melioribus
 literis pestem afferunt, quantam multi eorum, qui se hu-
 manitatis magistros dici haberique volunt. Hi enim cum 6
 praeclaram juventutis indolem absurda, et nullo consilio
 temperata, disciplina corrumpunt, et felicia naturae semina,
 quae fovere et excitare deberent, extinguunt, quid, quaeso,
 aliud agunt, nisi ut ipsum humanitatis studium in perniciem
 vocent, teterrimamque barbariem reducant? Vere igitur 7
 Petronius Arbiter omnem liberalis doctrinae, inprimis elo-
 quentiae, in deterius lapsae culpam confert in *umbraticum*
Doctorem, qui juvenum ingenia delet. Juvat, quam Petronius 8
 leviter perstrinxit umbratici doctoris disciplinam, in hoc
 eruditissimorum hominum conventu explicare uberius,
 praesertim cum illa examinanda, quam ipse viam ac ratio-
 nem docendi tenendam putem, simul significare ac decla-
 rare possim. Quod dum facio, quaeso a Vobis, Ornatissimi

Auditores, ut me, sicut facere instituistis, benigne attenteque audiatis.

- 3, 1 Etsi plerique mortales insito quodam lucis et celebritatis studio ducuntur, multos tamen in literarum studiosis reperietis, qui sive naturae morositate, sive superbia, et aliorum contemptu, sive nimia literarum aviditate, sive quacun-
 2 que alia causa, in musei umbra ita se literis abdant, ut reipublicae lucem, ho-
 3 minumque consuetudinem fugiant, nec quicquam, quod ad communem fructum et utilitatem
 4 pertineat, in adspertum producant: qui inde a Latinis *um-*
 5 *bratici* sunt appellati. Hi postquam se ab hominum com-
 6 mercio segregarunt, ceteris hominibus nulla re similes esse volunt, sic demum, stulte credentes, se gravio-
 7 tioremque speciem habituros. Vultus est tetricus et truculentus, ridiculus incessus, abhorrens a more communi corporis motus, vestitus immunda illuvie squalens, ut non
 8 homines diceres, sed hominum terriculamenta. Quodsi forte ex umbraculis suis in honestioris conventus lumen protrahantur quasi in sole caligant, tum vero, anxie trepidant, nec, ut ingenuos homines decet, oculos attollere audent. Ex hoc insano solitudinis studio primum, animus, si ante integer fuit, contumaciam arrogantiamque contrahit. Nam ut infantes, quibus nulli obtigere collusores, contumacissimi esse solent, sic umbratici homines, ab omni convictu consuetudineque civili remoti, cum nunquam vel monendo, vel castigando, ad humanitatem sint comitatemque revocati, duros, difficiles, et prope intolerabiles se aliis praebent.
 9 Cumque in illa vita solitaria, qui plus ipsis sapiat, videant

neminem, opinionis et assentationis errore se solos inter mortales sapere, se solos pulchros beatosque esse putant. Porro in istis latebris sensum, qui communis dicitur, ita 3, 8
p. 12 perdunt, ut, si alius, atque de literis, sermo | cum ipsis in-
stituatur, vix muliercularum ludibrium effugiant. Talis 9
denique eorum animis stupor ab obscura vivendi ratione
offunditur, ut, quid in quaque re verum, pulchrum, et de-
corum sit, sentire nullo modo queant. E decori praesertim 10
neglectu innumerabiles existunt ineptiae, quae per omnes
vitae partes vagantur. Hoc Pedantismi vitium (utamur enim 11
Gallico verbo, cum in Latina lingua satis aptum huic rei no-
men non invenimus) hoc igitur vitium tam late patet, nullus
ut eruditorum ordo sit, quem non ejus contagio levius 12
gravius infecerit. Sed, ut verum vel invitus fatear, maxime
hoc malo laborant ii, a quibus omnem decoris, pulchritu-
dinisque sensum, ipsam denique amabilem humanitatem
exspectaretis, propterea quod literas, quae ab humanitate
nomen habent, profitentur. Quid ergo? an humanissimae 13
literae, quae mores emollire, et feritatem animis eximere
dicuntur, quicumque illas colunt, feros atque inhumanos
reddunt? An veteres Scriptores, pleni venustatis, gratiae, 14
leporis, ut quisque familiarissime cum iis versatus est, ita
illum ineptum, agrestem et inficetum a consuetudine sua
dimittunt? Minime vero. Unde igitur hujus rei causam du-
camus? Nempe haec humanitatis disciplina, primum, rerum 15
magnitudine et varietate tam ampla est, et per tot anti-
quitatis monumenta dissipatur, ut, nisi quis divino praeditus
sit ingenio, remotus plerumque ab oculis populi, omne

- 3, 16 otium tempus | que in ea discenda conterere debeat. Quo p. 13
 umbratili otio cum quidam ita capiantur, ut, Timonis instar,
 ab omni humana societate abhorreant, sensim inde mores
 17 contrahunt, quos dixi. Deinde hae ipsae literae, quanquam
 maxime elegantia et suavitate censentur, habent tamen hic
 18 illic spinas vepresque, non illas quidem a scriptorum inge-
 nio, sed a barbari temporis inscitia et corruptela. In quibus
 senticetis cum isti, nescio qua mentis pravitate ducti, liben-
 tius desideant, quam in laetis amoenisque viridariis, necesse
 est ingenium etiam exasperari, et velut horridum hispidum-
 19 que reddi. Huc accedit insanum minutiarum studium, quod
 proprium est literatoribus otiosis. Gerris enim crepundi-
 isque tractandis animus ad eam humilitatem abjicitur, ut
 nullius, nisi levis, minutae, et puerilis rei cogitationem sus-
 cipere possit.
- 4, 1 Jam satis bene cum literis, earumque studiosis ageretur,
 si tales lucifugi suum modo ingenium perversa studiorum
 2 ratione corrumperent. Sed cum juvenilis aetas iis potissi-
 mum erudienda tradi soleat, eadem perversitate juvenum
 3 ingenia ad altum surgentia delent. Etenim falsa scientiae
 opinione inflati, non se accommodant infirmis ingeniis, sed,
 ut supra vulgus sapere videantur, eruditionem venditant,
 docendo difficultates augent, et angustas puerorum mentes
 4 praeceptorum farragine opprimunt et suffocant. Ita fit, ut
 adolescentuli animum despondeant, et quas nondum | cog- p. 14
 5 novere literas, odisse incipiant. Dandum esse aliquem huic
 aetati ludum, quo animus remittatur, indulgendum inter-
 dum et connivendum levioribus peccatis, una et consentiens

prudentum virorum vox est. At hic de umbra doctor semper 4, 6
est

Difficilis, querulus, laudator temporis acti

Se puero:

semper in ore habet illud in scholis adeo decantatum: *o!*
tempora, o! mores. Sed ut faciles simus, et hanc tristitiam ac 7
morositatem feramus, quis immanem in puerorum terga
saeviendi consuetudinem ferat? Vix alia res est, mihi credite, 8
quae majorem optimarum artium studiis calamitatem im-
portet. Accidit enim nescio quo iniquo literis fato, ut plagosi
Orbilii illis potissimum, qui ingenii praestantia literis ali-
quando ornamento essent futuri, omnem discendi amorem
excutiant. Frustra quis erectioris indolis juvenes, tali con- 9
tumelia affectos, ubi semel scholas reliquerint, revocet ad
veteres scriptores iterum evolvendos: quippe cum ipso
Ciceronis aut Virgilii nomine redit tristis immi-
sericordis paedagogi. Quid jam dicam de ridiculo horum 10
magistrorum supercilio et fastu? Ferulam dum gestant,
sceptrum regium se tenere opinantur, stolideque jactant, se
Grammaticam, doctrinarum reginam, docere, secum et
natas et morituras literas: erigunt denique tribunal, Sciop-
piano isti simile, ad quod summi viri, si forte in vocula | syl-
labave lapsi sint, obtorto collo rapiantur. Atque utinam hanc 11
arrogantiam, ceterasque scholasticas ineptias in scholis
relinquerent, nec secum in vitam civilem ferrent! Sed, dum 12
puerorum gregem ficta auctoritate continent, in eam con-

4, 13 suetudinem adducuntur, ut extra scholam etiam eandem
 gravitatem affectent, vultumque minacem ostendant. Qui-
 bus moribus cum semet ipsi omnium contemptui exponant,
 tamen deplorant sortem suam, et graviter queruntur, se
 lepidorum hominum ludibrio vexari, congressumque suum,
 tanquam contactu contaminet, a viris illustrioribus vitari.
 14 Sed ut illi dignas moribus suis poenas luunt, sic iniquissi-
 mum est, paucorum ineptias vulgo ad universos trahi, ip-
 sumque Scholasticum ordinem, cujus quanta est utilitas in
 republica, tanta etiam dignitas esse debebat, in contemptum
 et invidiam vocari.

15 Cognovistis, Auditores Ornatissimi, doctorem umbra-
 ticum in leviori Grammatices studio: jam eum cognoscite
 in graviori.

5, 1 Praeclare comparatum est more institutoque majorum, ut
 juvenus salutari Graecorum Latinorumque scriptorum tan-
 2 quam succo mature imbuatur. Cum enim viri eximia mente
 et consilio praediti vidissent, non summam modo humani
 ingenii vim in Graecis Latinisque eluxisse, artesque omnes
 liberali homine dignas ab iisdem et inventas esse, et plene
 cumulateque perfectas, sed incredibiles etiam animi virtutes
 in eorum libris esse expressas: ex his fontibus omnem ingenii
 cultum, | omnem solidiorem doctrinam, sapientiae porro p. 16
 ac prudentiae praecepta, et, quod multo majus est, vitae
 3 bene instituendae exempla haurienda esse statuerunt. Ho-
 rum igitur scriptorum interpretatione prope omne ejus, qui
 se humaniorum literarum magistrum profitetur, munus
 4 absolvitur. Sed has partes, nolite dubitare, quin omnium

pessime tueantur ii, qui tota vita in umbra desederunt. Nam, 5, 5
 ut alia mittam, quis non intelligit, ne lucem quidem a te-
 nebris magis differre posse, quam horum vespertilionum
 iudicium discrepat a veterum scriptorum, quos interpretari
 conantur, sensu? Hi quidem cum omnem vitam in reipubli- 6
 cae luce, in bello, in foro, in legationibus, aliisque gravissimis
 civitatis muneribus transegissent, aut mores venustorum ho-
 minum consuetudine excoluissent, simillima splendidae
 vitae monumenta literis prodiderunt. Nihil in illis humile, 7
 nihil putidum, nihil ineptis fucatum, nihil quod scholae
 sordes redoleat: omnia lucent naturali pulchritudine, et
 singulari quodam splendore, quem magni et elati animi 8
 tanquam spiritus afflavit. Jam quomodo magistri, e latibulis
 extracti, juventutem ad talis pulchritudinis sensum acuent,
 quam nec sentiunt ipsi, nec, ut sentirent, unquam elabora-
 runt? Quomodo, qui omnes cogitationes suas in quisquilias 9
 abjecerunt, quid suaviter, acute, venuste, magnifice dictum,
 secusve, sit, iudicabunt? Mirum fortasse quibusdam videat- 10
 ur, quod dicam: sed verum esse, ipse experiundo cognovi.

p. 17 | Saepenumero homines mediocriter docti, at bono praediti
 ingenio, et vitae humanae usu politi, quid in antiquis scrip-
 toribus rectum, venustum, et admirabile sit, multo melius
 intelligunt, quam qui aetate in tenebricosis ergastulis con-
 terenda, permagnam sibi eruditionem compararint. Gallica 11
 gens, ut ludis dedita scenicis, Tragicorum et Comidarum
 poetarum exquisitum iudicium habere putatur. Ac vidi in
 ipso huius gentis elegantiori sexu, non eruditas illas quidem
 de scholae more, aut ineptas eruditionis ostentatrices, quales

Galliae Menander lepida fabula exagitavit, sed quarum praeclarus naturae habitus sola vitae elegantia esset excultus, vidi igitur, quae de Sophoclis et Euripidis dramatis, sibi tantum per versionem cognitis, longe verius judicarent, quam multi, quos cognoram, de schola literatores, qui omnes horum
 5, 12 poëtarum versus memoria tenebant. Non illae quidem disputare poterant de loquendi formulis, de Atticismo, de metro Tragico, sed tanto melius intelligebant, qua ratione fabula esset contexta, quam apte nodi adstricti, et rursus soluti, quantum poëtae artificium in moribus exprimendis, quae sententiarum altitudo, qui animorum motus efficaces
 13 vel ad virtutis amorem, vel ad vitii odium concitandum. Vix ullus poëta est, qui lautioris generis et fortunae hominibus
 14 magis in deliciis sit Horatio. Cui tametsi nihil ad summam vel ingenii vel artis laudem deest, tamen, | quod prae ceteris p. 18
 poetis, magnis splendidisque viris comes haereat, inprimis tribuendum est mirificae illi urbanitati, quam ex Maecenatis, unius omnium politissimi viri, et vero ex Augusti aula, veris-
 15 sima omnis elegantiae schola, duxit. Hanc Horatii venustatem lucifugi, quos perpetuae lucubrationes stupefecerunt, gustare non possunt: sed ingenio elegantes viri sentiunt eo
 16 acrius, quo magis versati sunt in luce commerciorum. Itaque verissimum credo id, quod mihi aliquando confirmavit vir generis splendore, et honorum amplitudine, incertum, an ingenii et doctrinae elegantia illustrior,* cum diceret, se juvenili aetate Horatium ita trivisse, ut omnes ejus versus

* Comes Guil. a Bentink. (*adn. Rubnkenii*).

tanquam digitos suos nosset, sed exquisitiores ejus veneres
 et lepores tum demum, cum honorum cursu ad mores ho-
 minum, regum in primis et principum, cognoscendos esset
 delatus, penitus percepisse. Sed redeat oratio ad umbraticos 5, 17
 doctores, unde deflexit. Ut humilis et angustus eorum ani-
 mus est, ita humilem etiam de antiquis scriptoribus opinio-
 nem susceperunt. Nam quod bonorum, quae inde ad nos 18
 proficiscuntur, omnium minimum est, ut sermonis puri-
 tatem ex iis hauriamus, illi longe maximum et prope dicam
 unicum bonum censent. Itaque, missis rebus, quarum cog- 19
 noscendarum causa veteres scriptores ab hominibus sanis
 p. 19 le | guntur, nihil nisi verba scrutantur, diligentia quidem adeo
 miseranda, ut, quoties vocabulum vel dicendi forma apud
 quemque scriptorem occurrat, scrupulose ad calculos vo-
 cent. Ex quo luto si se erigant, ritus antiquos et fabulas ad 20
 ineptias usque consecantur. Non illi, legendis divinis Ho- 21
 meri et Virgilii carminibus, una cum poetis animo effe-
 runtur, et semet ipsi videntur majores fieri, non interiores
 ingenii et sapientiae opes quaerunt, sed in verborum cortice
 haerent, fabulisque cognoscendis delectantur. Ex quo fa- 22
 bularum studio ortae sunt vanae et ridiculae talium Gram-
 maticorum quaestiones, veterum etiam ludibrio explosae:
 Quid Sirenes cantare sint solitae? quot Ulysses remiges 23
 habuerit? Quae nomina fuerint heroum in equo Trojano ab-
 ditorum? An canes aluerit Cyclops? O! minutos magistel-
 lorum animos! o! stultum laborem ineptiarum! Iidem in
 Cicerone non id, quo uno vera ejus magnitudo judicanda
 est, vim eloquentiae, sapientiam vita, haud facile dixerim, an

scriptis testatorem, animum denique omnium rerum prae patriae salute contemptorem, admirantur, sed festivam lo-
 5, 24 quendi formularum copiam et varietatem. Et mirabimur, juventutis talibus magistris commissae animos, non ad magnificentiam ali et roborari, non ad veterum heroum exempla formari, sed potius deprimi ad frivolarum vanarumque rerum studium?

6, 1 Hic quod diximus, umbraticos doctores maxime ritus | p. 20
 antiquos venari, nemo ad antiquitatis contumeliam trahat.
 2 Quis enim, cui mens sana est, reprehendat studium ad utilitatem uberrimum, et ad suavitatem jucundissimum, sine quo nullus ad quemvis veterem scriptorem intelligendum
 3 aditus patet? Non morum, consuetudinumque vetustarum investigationem, sed praeposteram perversamque, qua isti antiquitatem excutiunt, diligentiam spernimus et repudiamus. Etenim neglecta illa antiquitatis parte, cujus perlate patet usus, in levibus nugatoriisque inquirendis versantur. Citius tibi explicabunt, qui Deus fuerit Ajus Locutius, quae Dea Cunina, quae Cloacina, quam quod sit discrimen inter jus Civitatis, jus Latii, et jus Italiae. Citius enarrabunt, quid Romani comedere et bibere soliti fuerint, quam qua ratione
 5 rempublicam temperarint. Itaque cupienti tibi aucti lapsique Imperii Romani causas cognoscere, animum explebit Montesquieusius; hi praeclari antiquarii te inanem dimittent. Extitere quondam Aristotelis libri Πολιτειῶν, quibus
 6 CLVIII. Rerumpublicarum originem, formam, leges, publicos privatosque mores explicuerat, divinum et admirabile opus, ut e fragmentis existimare licet, quod plurium aliorum

librorum, qui ad nos pervenerint, jactura redemptum vellem. Atque hoc tam grave damnum qui deplorent, multi sunt, qui resarcire conetur, nemo. Haec, haec digna est erudito et Antiquitatis studioso homine materia, qua rite tractanda de civili disciplina, atque adeo de genere humano bene mereatur. Contra paedagogorum ingeniis relinquendae sunt insulsae de veterum calceis, annulis, fibulis, et poenulis compilationes.

At dixerit aliquis, si inficeti tenebriones in veterum libris nihil nisi ritus et formulas quaerunt, neque adeo vim et praestantiam, quae illis inest, mente et intelligentia consequuntur, qui fit, ut classicos, quos vocamus, scriptores tam ambitiose laudent, sine modo crepantes coeleste Platonis ingenium, Atticos sales Aristophanis, admirabilem Ciceronis eloquentiam, beatam Livii ubertatem? Huic quod, respondeamus, non alte petendum est. Nego illos de suo sensu, et de certa animi persuasione sic judicare: negent omnes necesse est, qui eorum stuporem et ineptias cognorint. Quid igitur? Psittacorum instar voces, quas a primariis viris acceperint, reddunt, si forte imperitis persuadere possent, non minus se, quam Scaligeros et Casaubonos, quae tantorum scriptorum sit excellentia, tenere. Ac nescio, an priscis scriptoribus contumeliosum sit, ab istis cum laude commemorari. Nam qui a studiis nostris alieni, Demosthenem, ut hoc utar, aut Ciceronem talium magistrorum praeconio celebrari audiunt, statim sibi fingunt speciem abjecti, inepti et umbratici literatoris, quales sunt, qui eos laudibus ferunt. Unde fit, ut multi optimos antiquitatis scriptores istorum

7, 7 jejunitate metientes, ipsas ingenuas artes, quae inde ad nos
 manarint, | respuant, ac pro nihilo ducant. Enimvero paedagogorum labes non est cum divinis viris communicanda. p. 22
 Jaceant magistelli: in coelo sint veteres heroës: rideatur
 paedagogica disciplina: in honore sint artes ab antiquorum
 8 ingenio ad nos profectae. Sed non satis est cerebrosis doctoribus, veteres comparato ad ostentationem studio laudare,
 nisi hanc laudem jungant cum acerba ingeniosorum,
 9 quos recentior aetas tulit, scriptorum vituperatione. Etenim
 seculum, quo vivunt, illis adeo consenuisse videtur, nihil ut
 in ullo doctrinae genere, quod legi operae pretium sit, pro-
 10 ferre queat. Nauseant ad Bossueti et Fenelonii eloquentiam:
 illepidos vocant lepores Molierii: sordet Cornelius cum So-
 11 phocle, Racinius cum Euripide comparatus. Fontanum vero
 ubi Phaedro longe praeferri audiunt, plane cerebrum sibi
 12 excuti putant. Nos tametsi veteres artibus iis, quae ingenio
 continentur, ita excellere judicamus, ut posteris omnem sui
 consequendi spem abstulisse videantur, tamen, quin vel
 stolidi, vel invidiae labe suffusi, obtreptatoris sit, suam nos-
 13 trae aetati laudem detrahere, nihil dubitamus. Quin ad uti-
 litatem fructuosissimum, atque ad animi voluptatem libera-
 lissimum est, maxima ex antiquitate ingenia cum citerioris
 temporis luminibus committere, et quam felici studio recen-
 14 tiores antiquos illos imitati sint, curiose explorare. Ecquid
 vero aliud livore pallidi Grammatistae acerbissimo in nova
 ingenia odio proficiunt, nisi ut ipsi libe | ralioris animi viris p. 23
 risus jocusque sint, vel, quo nihil est indignius, auctoribus
 15 antiquis invidiam conflent. Est enim novitiorum quorun-

dam scriptorum ea stultitia, ut se tum demum illatam sibi injuriam egregie repulisse putent, cum indignationem et iram, quae in paedagogos effundenda fuisset, in ipsam antiquitatem evomuerint.

Sentio orationem a proposito paullum declinasse. Age- 8, 1
 batur enim inprimis, ut, quae umbraticorum paedagogorum per omnes humanitatis partes disciplina sit, ostenderemus. Hoc igitur faciemus, ubi ante, quam fieri potest brevissime, 2
 demonstrarimus, quomodo eorundem inscitia humaniorum literarum fines, a veteribus sapientissime constitutos, mutarit. Olim humanitatis studiis non tantum Poesis, Eloquen- 3
 tia, et Historia, sed inprimis Philosophia, et, sine qua vix percipi philosophia potest, Mathesis continebantur. Quinc- 4
 tilianus quidem in ipso Grammatico, id est, poetarum interprete, cum philosophiae, tum siderum scientiam requirit quippe poetae, quos vetustissimos sapientiae magistros fuisse scimus, permulta Philosophiae et Astronomiae vestigia carminibus suis impresserunt. Sed videte, quam versa in 5
 deteriorem partem sint omnia. Isti in literarum opprobrium nati literatores, cum nugarum levitati tractandae essent p. 24
 adsueta, Mathesis difficultate deterrebantur, nec Philosophiae severitatem ferebant. Quid igitur accidit? Veteres 6
 philosophos omnes, quamvis classicorum auctorum numero comprehensos, procul a se amandarunt, ipsamque Philosophiam (o! coecas hominum mentes!) tanquam infaustum omen despuerunt. Videas igitur, qui alios poetas vastis 7
 commentariis obruant, non audere attingere Lucretium. Mole annotationum et conjecturarum laborant Ciceronis 8

Orationes et Epistolae. At ejus libris philosophicis, qui interpretis nomen et dignitatem sustinere possit, nondum obtigit
 8, 9 quisquam. Quid? Manilius nonne tenebris sordibusque adhuc oppletus jaceret, nisi literatores in paucis graviorum artium praesidio instructi, Scaliger, Huetius et Bentlejus
 10 illum sibi explicandum corrigendumque sumsissent? Quae cum ita sint, quis miretur, literatores saepe a philosophis tanquam syllabarum aucupes rideri, qui paleas modo e veterum libris legant, uberrima rerum sententiarumque segete
 11 neglecta? Quo opprobrio si tales, quales descripsimus, dignos censent, ad suum judicium adscribant sententiam
 12 nostram. Verum artificum inscitiam ad artes ne transferant, neve propter quorundam literatorum fatuitatem, ipsas politiores literas contemnunt. Nam turpe est philosophis, nescire hominum culpam segregare ab innocentia rerum.

9, 1 Philosophia igitur et Mathesi bonarum artium choro exclusis, restat umbraticis magistris Eloquentiae, Poësis | et p. 25
 2 Historiae disciplina. Jam primum videamus, quam viam faciant ad eloquentiam ituris. Qui eloquentiam ex vero aestimant, non magnam vim ad eam comparandam praeceptis tribuunt, sed prope omnem ab animo magno et excelso, virtutis et sapientiae admiratore, vitiorum, sordidarumque
 3 rerum contemptore, ducunt. Qualem animum si quis veterum oratorum, Demosthenis inprimis et Ciceronis, lectione adjuvet incitetque, assidua dicendi scribendique exercitatione adjungenda, facile, quod in eloquentia summum est,
 4 consequetur. Sed ad hanc veram et masculam eloquentiam cum pravi et illiberalis animi magistri adspirare non possent,

aliam adulterinam in scholas invexerunt, verbis turgidam,
 sententiarum inanem, et ceteris rebus ineptam; ut merito in
 eos corruptae eloquentiae culpam conjiciat acerrimus um-
 bratilis disciplinae exagitator, Petronius. *Pace vestra, inquit,*
liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. Levibus
enim atque inanibus sonis ludibria quaedam excitando effecistis,
ut corpus orationis enervaretur et caderet. Hic si ita de aetatis 9, 5
 suae rhetoribus judicavit, quid eum, si viveret, de recentio-
 ribus magistris censetis judicaturum, qui non eloquentiam,
 id est, sapientiam copiose loquentem, sed stultitiam loqua-
 cem juventuti tradunt, et tum se credunt mirifice locutos, 6
 p. 26 qui exoletae vel tustatis amore capti, cum Euandri matre
 loquantur, ut docti etiam, nisi glossaria percursa et prope
 decantata habeant, in singulis verbis haereant. Multo plures, 7
 sprete aurea illa Ciceronis simplicitate et verecundia, tumi-
 dum, phaleratum, et translationibus audax dicendi genus
 sectantur, cujus exemplum in Symmacho et Sidonio Apolli-
 nari habemus. Tales rhetores quondam multorum ex Belgis 8
 animos veluti pestilenti sidere afflarunt; quorum perversa
 ratio tam late manavit, ut etiam nunc reperiantur, qui non
 aliam orationem, nisi quae ex ampullis, et grande quid
 sonantibus verbis, nullo aetatis scriptorumque discrimine,
 conflata sit, pulchram ac magnificam ducant. Atque hanc 9
 potissimum causam esse crediderim, quare Belgae, quos
 cunctis gentibus eruditionis gloria antecelluisse constat, una
 bene dicendi scribendique laude cesserint Italis, qui se totos
 ad Ciceronis, et ut quisque ei proximus est, imitationem

9, 10 contulissent. Neque tamen uno hoc morbo novi eloquentiae
magistri laborant. Doctam etiam obscuritatem et ipsi cap-
tant, et discipulis suis commendant, propterea quod vulgus
11 maxime eorum, quae non intelligit, admiratione stupet. In
hac ipsa Academia humanitatis disciplinam tradidit vir
quidam doctissimus, extemporali oratione, ut accepimus,
satis praestans, sed idem cum curam ad scribendum adhi-
buisset, stili morositate, et putida eruditionis ostentatione
| ita omnia obscurans, ut libri ejus, qui extant, non ad bonas p. 27
litteras illustrandas, sed ad hominum ingenia fatiganda scripti
12 esse videantur. Huic vitio etiam affines sunt nonnulli aetatis
nostrae philosophi, qui, quas res populari ac perspicuo
sermone enunciare possent, nimiae subtilitatis affectatione
verbis exprimunt a communi usu abductis, interdum etiam
13 novis, et a se satis inconcinne confictis. Ipsa ratio loquitur,
si vel rhetores tacerent, rebus attemperandam esse oratio-
nem, humilia summis, magna graviter, mediocria tem-
14 perate esse dicenda. In quo, dici non potest, quantopere
peccent oratores ex umbra, et scholae pulvere ad dicendum
15 prodeuntes. Vidi, qui, quibus verbis Alexander M. milites ad
fortiter pugnandum, iisdem discipulos ad discendi studium
cohortarentur; et qui in mansuetiorum Musarum contem-
tores declamaturi, Ciceronis Catilinaras compilarent. Vidi
contra alios, qui dicta per vernilem jocum a Comicis, rebus
gravissimis accommodarent, cum irrisione intelligentium.
Adeo verum est, quod divinitus dixit Horatius:

Scribendi recte sapere est et principium et fons.

Quodsi paedagogica fatuitas in Eloquentia, sive aliis 10, 1
 tradenda, sive exercenda, ludos praebet, quid eam facere
 arbitramini in Poëtices studio? Vetus dictum est, poëtam 2
 non fieri, sed nasci. Quod etsi semper illi magistri in ore
 p. 28 habent, ta | men, quae ejus vis sit, non intelligunt. Nam tot 3
 formulis et dictatis hanc artem tradunt, quasi naturae nihil,
 omnia egregiae disciplinae suae tribuenda sint. Ita juvenum, 4
 qui celeriores animi motus habent, studia tardant; a natura
 destitutos excruciant misere. Sed, o! boni, de medio tollite 5
 praeceptorum acervum, nec dubitate, quin vanissimus om-
 nis in hac arte conatus sit, nisi quis altos sensus, laetam
 uberemque ingenii venustatem, et raram in veritate ac na-
 tura imitanda felicitatem, secum quasi domo attulerit. Quo
 divino munere qui caret, non dicam poëta, sed ne idoneus
 quidem futurus est poëtarum interpretes. Hoc verissime a 6
 nobis dici, vestri in poëtas commentarii ostendunt. Quoties
 enim poëtis de vestro ingenio ineptias affingitis? Quoties eos
 corrigendo ad turpem sermonis humilitatem deprimitis?
 Quoties eorum veneres et latentes jocos, aut non capitis, aut
 interpretando pervertitis? Sed ineptiendi nullus modus est. 7
 Ingenium etiam suum, vel invitis Musis, in carmine pan-
 gendo periclitantur, invitati prava aetatis nostrae facilitate,
 quae versibus canoris, et ad aurium lenocinium comparatis
 contenta est, nec magnopere desiderat vel nativam ingenii
 urbanitatem, vel exquisitarum sententiarum copiam. Quo- 8
 modo igitur in carminibus scribendis versantur? Ex sicco et
 arido cerebro si nihil extundi potest, prosodiae, thesauri
 p. 29 poëtici, florilegia, et similia infelicium ingeniorum | subsi-

10,9 dia adhibentur. Haerent, unde carminis principium ducant? Ex Helicone advocantur novem sorores, vel ex Olympo totum agmen Deorum. Nuptiae sunt elegia celebrandae? Benignam materiam suppeditant Venus magico cesto cincta, et, quem illa comitem trahit, Cupido pharetratus. Funus versibus ornandum? Convicia de trivio in Parcas et Plutonium congeruntur. Tota denique mythologia ita jactatur et
 10 inculcatur, ut Ovidii Ibin te legere credas. Ex horum etiam umbraculis prodire difficiles nugae, anagrammata, chronosticha, acrosticha, isopsepha: quae dum refero technopaegnia, jam in ore vestro, Ornatissimi Auditores, fastidii
 11 signa conspicio. In his ludicris cum olim graves etiam doctique viri bonas horas perdiderint, est sane, quod gaudeamus, aetatem nostram ita resipuisse, ut, qui in talibus ingeniosi videri velint, vel puerorum sibilis explodantur. Sed quid poëastrorum deliriis immoror? Ad Historiae docendae rationem veniamus.

11,1 Historiam aliter tradit tenebris et squalore obsitus doctor, aliter elegans et vitae usu limatus. Ille in hoc studio majores
 2 memoriae partes esse censet; hic iudicii. Ille in fabuloso temporis caligine haeret, ubi reconditam eruditionem ostentare, minutasque observationes jactare possit; hic ex vetusta historia certissima quaeque deligit, studiumque
 3 suum ad haec quoque citeriora tempora traducit. Ille prae magni et pulchri inscitia levibus, vanis et inutilibus | immoratur; hic ad Polybii normam indagat gentium origines, sedes, migrationes, regnorum conversiones, incrementa, deminutiones, mores, instituta, leges, religionem, nec tan-

p. 30

tum, quid evenerit, exponit, sed a quibus consiliis et caussis
 quaeque actio manarit, quibus artibus casibusve impedita,
 infelicem exitum habuerit, quibus adjuta, felicem. Ille de- 11, 4
 nique se magnifice circumspicit, ubi immensam factorum
 nominumque copiam memoria comprehenderit, variamque
 sibi eruditionem compararit; hic etsi veram eruditionem nec
 ipse negligit, tamen praestantissimum historiae fructum esse
 statuit, splendidis et immortalibus maximorum virorum
 animis contemplandis, tum se ipsum, tum disciplinae suae
 alumnos ad talis virtutis excellentiam conformare, atque
 adeo inde sapientiae potius et prudentiae praesidia petere,
 quam eruditionis. Extiterunt quidem, superiore praesertim 5
 seculo, e latibulis magistri, qui supra Grammaticam sapere,
 et historiam, scribendis politicis in veteres Historicos ob-
 servationibus, ad vitae civilis usum transferre auderent.
 Sed, mihi credite, nunquam alias turpius se dederunt. Nam 6
 scholasticis ineptiis oblit, de regum et rerumpublicarum
 controversiis, tanto fastu et supercilio, quanta ignorantia et
 temeritate, pronuntiabant, et prudentiae praecepta, quae
 cuivis non stultissimo, lectis auctorum verbis, suapte sponte
 p. 31 in mentem venirent, ad fastidium usque inculcabant. |
 Quodsi qui in otio et solitudine consenuerint, ad historiam 7
 docendam minus idonei reperiuntur, quales futuros existi-
 matis in historia monumentis literarum prodenda? Profecto 8
 nec bellum commode narrabit, qui nunquam pulverem,
 solem, clamorem, castra viderit, nec rerumpublicarum virtu-
 tes aut vitia intelligenter explicabit, qui a civitate regenda
 longe remotus, in obscuris angulis vixerit, nec arcana

aulicorum consilia callide assequetur, qui hominum aditum sermonemque fugiens, ne privatorum quidem ingenia cognorit, nec dignam magnis rebus orationem afferet, qui in sordibus volutatus, omnem pulchritudinis sensum perdidit. Atque hinc ratio repetenda est, cur, quicquid aetas nostra, in hoc genere efficere conetur, cum antiquis historiae monimentis comparatum sordeat. Nam qui illa aetate historiam literis mandarunt, e Graecis Thucydides, Xenophon, Polybius, e Latinis Sallustius, Caesar, Livius, Tacitus, cum vel exercitibus praefuissent, vel maximas civitates rexissent, vel certe magnum rerum civilium militariumque usum sibi comparassent, non modo acta et eventus, sed consilia etiam et causas verissime exponere, omninoque historiam, quae civilis prudentiae magistra sit, condere potuerunt. Hodie vero quam abjecta et depressa est historiae conditio! ad quam scribendam umbratici fere homines studium suum conferunt, iidemque, quo nihil turpius est, mercede conducti. Itaque jejunis et macilentis | annalibus, commentariisque abundamus: historiae quod nomen mereatur, vix habemus.

12, 1 Ex plena et perfecta earum artium, quas ante commemoravimus, scientia efflorescit et redundat Critice, antiquitatis omnis interpret et iudex, veri obrussa, fraudum indagatrix, corruptelarum expultrix, quae nullis limitibus circumscripta, per oratores, poëtas, philosophos, historicos late vagatur, et severam ingeniorum monumentorumque quasi censuram
2 agit. Hujus artis facultate eos tantum, qui ingenio supra communem mensuram eminuerint, omnisque liberalis

doctrinae pene infinitam vim animo comprehenderint,
 excelluisse scimus: qui quam pauci omni aetate fuerint,
 nemo ignorare potest, nisi qui literarum historiam ignoret.
 Sed hic in umbraticis doctoribus quid potius mirer, dubito, 12, 3
 stultitiamne, an impudentiam? qui hanc divinam artem,
 quam ne attingere quidem debebant, sibi solis arrogant,
 hanc tanquam filiolum exosculantur, hujus denique facultate
 censi volunt. Etenim ingenium ineptiis depravatum, tri- 4
 casque eruditas potius, quam veram eruditionem, ad Criti-
 cen exercendam afferentes, variantium lectionum farragine
 congerenda, literarum apicibus ad superstitionem usque
 excutiendis, vucula mutanda, rancido quodam verbo e situ
 et squalore revocando, egregie, si Dis placet, se Criticorum
 p. 33 munere fungi credunt. Sic, dum | se veram putant Criticen 5
 tenere, quid aliud, quam vilissimum literarum aucupium,
 tenent? Nulla autem in re tantopere sibi placent, quam in
 corrigendi dicam, an depravandi studio. Equidem comme- 6
 morare possem, qui omnem aetatem in ea conterant, non
 ut sibi ex antiquis scriptoribus sapientiam, et bene dicendi
 intelligentiam ac facultatem comparent, vitamque ipsam
 elegantiolem reddant; qui unus est hujus studii fructus,
 liberali homine dignus: sed ut commissa a librariis peccata
 investigent, in iisque tollendis operam venditent suam.
 Igitur ut quisque scriptor barbariae sordibus contamina- 7
 tissimus est, ita libentissime in eo commorantur, habitant,
 haerent. Mitto recentioris memoriae exempla, ne quem
 describere velle videar. Nonium Marcellum quis nescit su-
 periore seculo multo diligentius tritum esse, quam Livium,

12, 8 aut quemvis alium bonum scriptorem? Caussam si quaeritis,
 haec est, quod lacera auctorum apud Nonium fragmenta be-
 9 nigniolem corrigendi materiam praeberent. Quam dispar
 fuit ratio viri, si quis unquam, Critici, Joan. Freder. Gro-
 novii*, cuius aurea verba hic recitare, non alienum fuerit: *Ego*
a prima aetate in lectione veterum id potissimum habui, ut mei
mores emendarentur, non ut apices et puncta librorum. Si inte-
rim frequenter legendo eo profecimus, ut genium capere | scrip- p. 34
toris, ipsumque sua mente et stilo donare possem, in lucro deputavi.
Barbari sunt, qui non puram aquam atque ingenuam, quam
turbidam sordibusque permixtam bibere malunt. Sed nihil
infelicius magistris, qui in literis et syllabis consenuerunt, pulicum
 10 *saltus metiuntur;* etc. Ad hujus viri normam, quicumque Cri-
 tici dici haberique volunt, studia sua dirigant, repudiatis
 stolidis Pseudocriticorum institutis, quibus haec ars in eum
 contemptum adducta est, ut eleganti ingenio viri, aliud stu-
 diorum genus professi, ejus cognitionem sibi indecoram et
 11 turpem ducant. Quanquam res jam eo rediit, ut Critice con-
 tentum sui prope patienter ferat: sed infamia, qua adspere-
 12 gitur, acerbissimum ei dolorem inurit. Etenim permulti
 eorum, qui se Critices alumnos ferunt, ex umbratico maxime
 genere, morum foeditate bonis honestisque viris se adeo
 invisos et pene despuendos reddunt, ut inde summum de-
 decus et ignominia in ipsam artem, quam se profiteri dicunt,
 13 redundet. Citat quidem Critice innocentiae suae testes, Is.

* In Epist. ad Nic. Heinsium, Syllog. Epist. Tom. III. p. 3. (*adn. Rubnkenii*).

Casaubonum, J. Fr. Gronovium, N. Heinsium, J. G. Graevium, alios, quos non minus vitae elegantia, et amabilis morum humanitas, quam Criticae facultatis commendatio nobilitavit. Sed premitur ejus caussa multitudine eorum, qui 12, 14 reprehendendi libidine, rixandique furore agitati, tum in summos quosque viros, levissima de caussa, debacchantur, tum famam suam inter se lace| rant conviciis ex omnis aevi p. 35 memoria conquisitis. Patres avique nostri, incredibile dictu 15 est, quot quam ridicula et pudenda bella viderint inter hos Lapithas et Centauros gesta. Spes erat, futurum, ut seculi nostri humanitas talium ingeniorum ferociam mitigaret. Falso. Nam exorti sunt, et exoriuntur in dies, qui de nugis tricisque tanta atrocitate inter se digladientur, ut pro capite ac vita certamen suscepisse videantur.

His omnibus commemorandis demonstrandisque, qualis 13 umbraticorum doctorum disciplina, quales mores sint, me arbitror planum fecisse. Nec quisquam amplius dubitabit, quin humanitatis studia, quae olim concelebrata enituerunt, illorum inprimis culpa partim in contemptum, partim in infamiam adducta, deserantur et obsolescant.

Sed veniam eo, quo et officii sanctitas, et hujus diei sollemnitas, me jam dudum vocant. Vobis igitur, illustres Musarum nostrarum praesides ac custodes, gratias, quantas animus capere maximas potest, ago, agamque, dum vivam, quod Vestra auctoritate eam mihi provinciam decreveritis, in qua, quam assecutus sum humaniorum scientiam literarum, si tamen sum aliquam assecutus, certe in qua tantum studii consumsi, eam florentissimae, quae hic ingenii cultum 14, 1

14, 2 capit, juventuti explicare possim. Equidem | etsi sentio, me p. 36
 sapientia Vestra fretum plus oneris, quam ferre possim, sus-
 tulisse, tamen Vobis recipio spondeoque, me, quod ingenio
 et doctrinae deest, labore et animi contentione ita pensa-
 turum, nunquam ut Vos Vestri de me iudicii poeniteat.

15, 1 Vos autem, Clarissimi omnium disciplinarum Profes-
 sores, viri omni laude cumulati, non multis verbis rogandi
 estis, ut me, quem dudum ante amicitia vestra non indignum
 existimastis, libenti animo in amplissimum ordinem Ves-
 2 trum recipiatis. Morte Vobis ereptus est collega conjunc-
 tissimus, Oudendorpius, quo humanior, candidior, et in
 omnibus vitae partibus integrior, nec sperando, nec optan-
 do, poterat cogitari. Cujus reliquas virtutes si minus Vobis
 3 praestare possum, certe humanitatem et candorem prae-
 stabo. Cumque me primum natura, tum multo magis ratio
 ac doctrina ad lenitatem finxerit, vere videor posse affirmare,
 mihi nullam unquam Vobiscum, nisi in juventute ad sapien-
 tiam virtutemque formanda, et hujus Academiae gloria
 amplificanda, contentionem futuram.

16, 1 Tu vero, divine senex, Tiberi Hemsterhusi, quanto ani-
 mum meum gaudio exultare putas, cum Te, quem antea
 magistrum et alterum parentem salu | tabam, nunc collega p. 37
 2 collegam salutem? Quicquid ego sum, Tui muneris sum.
 Tuere ergo beneficium Tuum, sisque meus, ut in discendo,
 3 sic in aliis docendis, dux et moderator. Equidem summum
 Numen supplex veneror, ut senectutem Tuam, quae aliorum
 praestat juventute, bonis suis cumulet, atque ad ultimos,
 quos humanae vitae constituit, terminos producat.

Denique Vos, carissimi Commilitones, compello. Audi- 17, 1
vistis, qualis sit, quam profiteor, disciplina, non tetrica, non
morosa, non umbratica, sed humanitatis, comitatisque
magistra. Omni igitur cura et cogitatione in rem pulcher- 2
rimam incumbite, et singulare Vestrum erga me studium,
quod, cum Vobis ad Graecas literas viam praeirem, ala-
critate, frequentia, adde modestia et silentio, declarastis,
mihi perpetuo conservate.

DIXI.

ADNOTATIONES

Dedicationem et allocutionem Ruhnkenii phototypice tantum dedi ut quae nihil fere a ceterorum omnium oratorum in academia Lugdunobatava praeter nomina curatorum differrent potiusque ad vitae consuetudinem quam ad ingenii acumen demonstrandum pertinerent, cf. e. g. allocutionem Perizonii: “Magnifice Rector, Vir Celeberrime. Splendidissime et Amplissime Civitatis Praetor. Nobilissimi, et Dignitate ac Virtute Excellentissimi Consules, quorum in fidem ac tutelam non haec Urbs modo, sed et Academia, praeclaro rerum successu, est tradita. Gravissimi, et Spectatissimi integritatis ac prudentiae, Scabini, Senatores, et qui conficiendis Actis Consul-tisque publicis vestro merito estis praefecti. † Divinae Humanaeque Sapientiae Antistites Professoresque, ingenti consummatae Eruditionis gloria Clarissimi, Desideratissimi Collegae. Venerande Collegii Publici Moderator, et Reliqui Sanctissimae Legis et Euangelii ad Populum Interpretes Disertissimi. Doctores Vario Scientiarum genere ac laude Conspicui, et qui praeterea adestis, Cives, Hospites, Honoribus, Meritis, Literis, Ornatissimi. Denique Potissima Nostrae Curae Pars, Pulcherrima Juvenum ad decus et Doctrinam contententium Corona: Certissima Patriae spes et incrementum: Athenaei Hujus Fortuna et Venustas.” Perizonii *orat.*, p. 1 sq. eadem fere omnia invenies in: Francisci Oudendorpii *Oratio de veterum inscriptio-num et monumentorum usu ... Lugduni Batavorum* 1745, p. 5 sq.

1, 1 *ante quadriennium eoque amplius*
innuit *Orationem de Graecia artium ac doctrinarum inventrice,*
habitam a. d. XVI Maji ann. MDCCLVII, cum in Academia Lug-
duno-Batava Lectoris Graecarum literarum professionem auspicare-

tur. in: Ruhn. *orat.*, p. 83-110. rectissime de ea iudicat Wyttentbachius: “Et vere videor affirmare posse, hanc primam post longum tempus e cathedra auditorii Lugdunobatavi vere orationem, id est, quae et Latinitatis et eloquentiae officio satisfaceret, tunc habitam esse, et, haud dubio omnium hac laude dignarum, ante habitarum principem exstitisse.” Wytt., *Vita*, p. 74.

- 1, 1 *ex hoc illustri atque edito loco*
locutio “locus editus” rostris minus convenit (dicitur enim “ex loco superiore agere” *ThLL* 7, 1601, 21 sqq., non: “ex loco edito agere”). “locus editus” translate de loco praeclaro insignique apud auctores, quod sciam, nusquam reperitur. dixit quidem Cicero: “loco perexcelso atque edito” (*Verr.* 4, 107, cf. *Mil.* 53), sed proprie.
- 1, 4 *Est haec propria etc.*
moris fuit in exordiis orationum aditium viros eruditos laudare qui doctrina academiam antea illustrarunt, cf. e. g.: “Quid autem, quando in mentem venit felicitium Animarum, quae olim hoc Museum suae eruditionis splendore illustrarunt, ejusque gloriam per totum diffuderunt terrarum Orbem? Lipsios dico, Baudios, Meursios, Heinsios, Gronovios: ut taceam illustrissimos literarum Principes, Scaligeros, et Salmasios, in quibus omnia pene quiddam humano modulo majus et augustius spirabant.” Perizonii *orat.*, p. 4 sq.
- 1, 5 *Josephus Scaliger*
Joseph Justus Scaliger (de la Scala) 1540-1609. Scaligeri memoriam religiose colebat Ruhnkenius (cf. Wytt., *Vita*, p. 250) in eademque admiratione permansit discipulus quoque eius Wyttentbachius, cf. “[...] Josephus Scaliger, quem ex omnibus, qui post renatas Literas fuerunt, omni Antiquitatis scien-

ADNOTATIONES

tia consummatissimum exstitisse constat [...]” Dan. Wytttenbachii *Opuscula varii argumenti, oratoria, historica, critica, nunc primum conjunctim edita*, Lugduni Batavorum et Amstelodami 1821, t. 1, p. 279.

- 1, 5 *gustu imbuit*
“*Gustum* ea significatione Latini dixerunt *sensum*. Ergo addendum *ut ita dicam*, audacioris translationis causa.” adnotatio Bergmani in: Ruhn., *orat.* ad l. cf. 5, 15 adn.
- 1, 5 *humaniorum literarum*
vide 2, 5 *melioribus literis* adn.; 14, 1 *humaniorum ... literarum*.
- 1, 6 *Dan. Heinsii*
Daniel Heinsius 1580-1655.
- 1, 6 *Jo. Fred. Gronovii*
Johann Friedrich Gronov 1611-1671. cf. e. g. “summus ille Gronovius” Ruhn. *Schol. in Suet.*, p. 215, “magnus Latinitatis magister, Gronovius” Ruhn. *Vell.*, t. 1, p. 401 et alias eum inter “Latinae proprietatis intelligentes iudices” (Ruhn. *Rutil. Lup.*, p. 92) recenset. cf. 6, 3 adn.; 11, 5 adn.
- 1, 6 *Jac. Perizonii*
Jacob Voorbroek 1651-1715. Ruhnkenius magni aestimabat Perizonium, atque adeo in praelectionibus Historiae Universalis, teste Wytttenbachio “[...] secutus est exemplum Jacobi Perizonii, cum in omni Literarum genere magni viri, et insignis earum in hac Academia [sc. Lugdunobatava] ineunte hoc saeculo doctoris, tum in primis Historia tractanda tradendaque laudem apud intelligentissimos iudices adepti.” Wytt., *Vita*, p. 95.

- 1, 6 *P. Burmanni*
 Pieter Burman 1668-1741. cf. tamen **12**, 13 *N. Heinsium* adn.
- 1, 6 *Franciscus Oudendorpius*
 Franz von Oudendorp 1696-1761. is Ruhnkenium in Academia Leidensi historiam et antiquitates romanas docuit. vide Ruhn. *orat.*, 552. post Oudendorpii obitum delata est Ruhnkenio *ordinaria Historiarum et Eloquentiae Professio*.
- 1, 9 *festivitatem*
 “festivitatem i. e. comitatem” Ruhnkenius ad Ter. *Eun.* 1048 in: P. Terentii Afri *Comoediae ... et Cel. Ruhnkenii Dictata in Terentium necdum typis impressa adiecit D. Paulus Iacobus Bruns ...*, Halae 1811, t. 1, p. 260 [*Dictata* autem haec confecit Ruhnkenius anno 1786 vel non multo post, certe non prius, cf. Brunsii praefationem, ib. XXVII sq.]. non sustinuit tamen noster haud spernendi grammatici supercilium: “mallem dixisset Ruhnkenius hilaritatem, favorem, vel simile quid.” Friedemannus in: Ruhn. *orat.* ad l. nempe festivitas sensu “animi hilaritas festo diei commoda” a sequioris tantum aetatis scriptoribus usurpatur, cf. *ThLL* 6, 623, 44 sqq.
- 1, 13 *divellere*
 cf. “Recte vir magnus [Hemsterhusium dicit] statuebat, Latinam linguam Graecae sic aptam et nexam esse, ut, qui alteram ab altera distrahat ac divellat, animi et corporis discidium inducere videatur.” *Elog. Hemst.* in: Ruhn. *orat.* p. 258. vide q. sq. adn.
- 1, 13 *tanto quemque meliorem* etc.
 v. supra. cf. “Nullus enim vere iudicare potest de Latinitate, nisi Graecae linguae cognitione instructus sit, cum analogia rerum et scientiarum accedere debeat.” Ian. *nim. lat.*, p. 136.

ADNOTATIONES

“Nec M. A. Muretus [*Var. Lect.* 2, 20] dicere dubitavit, *eos, qui Graeci sermonis expertes sint, ne Latine quidem scripta penitus percipere posse* ... Ipse vir summus [Hemsterhusium dicit] sese in Latinis intellegendis sic a Graecis adjuvari sentiebat, ut interdum negaret, Poetas eos, qui se totos ad Graecorum imitationem contulissent, nominatim Propertium et Horatium, Graece imperitis valde placere posse” *Elog. Hemst.* in: Ruhn. *orat.*, p. 259 (atque extant adhuc in bibliotheca publica Academiae Lugduno-Batavae Hemsterhusii observationes in Propertium manu scriptae: *Codices Rubnkeniani*, nr. 78: *Conf. Geel* no. 568); in *epist. ad Heynium*: “me cum Graecis semper conjunxisse Latina” Ruhn. *orat.*, p. 673; et *ib.* in *Praef. ad Schelleri Lexicon*, *ib.* p. 516; in *Dedicat. edit. Rutilii Lupi*, *ib.* p. 283; *Annot. ad Muret.*, *ib.* p. 523. eodem quoque spectant loci: Wytt., *Vita*, p. 93; Wyttchenbach. *Bibl. Crit.* 1, 22 sq. cf. praeterea: “wer nur eine Literatur kennt, kennt auch diese in Wahrheit nicht, und eine so reiche und so trümmerhaft erhaltene wie die der Griechen (von der sich | römische gar nicht trennen läßt) erfordert besonders weiten Umblick.” Ulrich von Wilamowitz-Moellendorff, *Erinnerungen 1848-1914*, Leipzig²[1929], p. 202 sq. (neque prorsus alienum erit Goethianum illud huc adducere: “Wer fremde Sprachen nicht kennt, weiß nichts von seiner eigenen.” *Maximen und Reflexionen*, Nr. 90).

Ruhnkenius quidem ipse, quod omni aevo rarum, ex aequo graecarum latinarumque litterarum scientia eminuit. cf. “I might have remembered the instances, not many but still some, e. g. Ruhnken, who were equally eminent in the two languages [...]” Mark Pattison [1813-1884] Late Rector of Lincoln College, Oxford, *Memoirs of an Oxford don*. Edited with an Introduction and Notes by Vivian H. H. Green Honorary Fellow, formerly Rector, of Lincoln College, Oxford, London 1988, p. 128.

- 2, 1 *Jam praetervectus ... verebar*
 variavit dicendi formulam qua usus erat iam anno 1747 in literis ad Io. Dan. Ritterum datis: “Jam scopulum illum, ad quem ne adhaeresceret meus pudor verebar, praetervectus, quid mihi ex tempore, quo a Te discessi, obtigerit, ordine quidem sed breviter referam.” Ruhn. *orat.*, p. 551.
- 2, 2 *omnium ... consumi*
 cf. e. g. Perizonii *orat.* vel Arnoldi Drackenborchii (Arnold Drakenborch 1684-1748) orationem quae est *De utilitate et fructu, qui ex Humanioribus disciplinis in omne hominum et doctrinarum genus redundat, cum Historiarum et Eloquentiae Professionem auspicaretur, habita Traiecti Batavorum ad d. XXV. Maii MDCCXVI*, Traiecti Batavorum 1716.
- 2, 5 *melioribus literis*
 altiores (interiores, reconditae, absconsaе vel absconditae, exquisitae) litterae (cf. *ThIL* 7, 1526, 54 sqq.) vel bonae (optimae) artes (cf. *ThIL* 2, 2090, 14 sqq) legitime dicuntur, at “meliores litterae” non item. cave praeterea “humaniores litteras” (1, 5; 14, 1; cf. 3, 13 *humanissimae litterae*. eundem errorem anno 1768 in *Praefatione editionis Rutili Lupi* in: Ruhn. *orat.* p. 284 et a. 1778 in *Dedicatione editionis C. Vellei Paterculii*, ib. p. 451 commisit) pro antiquis (veteribus) litteris vel “studia humaniora” pro studiis humanitatis dicas. cf. Wolf, *Kl. Schr.*, p. 814 et *Antibarb.*, 1, 665: “Bei den Alten wird dieses Adjektiv [sc. *humanus*], in welchem Grade es sei, nirgends der *doctrina*, den *artes*, *litterae*, *studia* beigelegt, und so werden denn die seit langer Zeit üblichen Ausdrücke *doctrina humanior*, *litterae humaniores*, *studia humaniora* und *humaniora* verdächtig, zumal da der *Komparativ* in dieser Benennung seltsam und ganz unzulässig ist, und die Frage gestattet, welche *litterae* – *humanae*, und welche *humanissimae* zu nennen seien. Freilich brau-

ADNOTATIONES

chen schon Manutius, Perpinian, Muret und Henricus Stephanus *humaniores litterae* und *humanior doctrina*. Durch solche Männer erhielt diese Redensart Autorität, wurde gangbar und ist es noch jetzt.”

- 2, 6 *deberent*
 mallem scripsisset “debebant”; vide KS 1, 171, cf. tamen ib. 174. sed Ruhnkenio id vitium – si est vitium – in consuetudine fuit, cf. “In quo iudicio plus, quam deberet, Heinsiani nominis favor [...] valuit.” *Praef. ed. Vell. Pat.* in: Ruhn. *orat.*, p. 458. cf. 12, 6 *possem*.
- 2, 7 *umbraticum Doctorem, qui juvenum ingenia delet*
 Petr. 2, 4.
- 3, 1 *contentu*
 cf. 4, 13, 14; 12, 11. si alteram editionem dedisset, mutasset fortasse in: “contemtionem”, nam in prima editione *Elogii Hemst.* ubique invenias *contemptum*, in altera vero aliquoties *contemptum* reliquit, saepius autem in contemtionem mutavit (Ruhn. *orat.* p. 249 et Bergmani adn.; 276). cum *doct. umbr.* scriberet, nondum scilicet compertum habebat Ruhnkenius, Ciceronem semper *contem(p)tionem* usurpasse, numquam *contem(p)tum*. quod autem aliquoties in *Elog. Hemst. contemptum* servavit, consentaneum est credere eum auctoritate Caesaris (qui *contemptum* semel, *contemtionem* sexies scripsit) atque Livii (qui semel *contemtionem*, plerumque vero *contemptum* posuit) id fecisse, vide *ThLL* 4, 658, 60 sqq.
- 3, 1 *musei umbra*
 simili sententia Perizonius: “Nempe, sicuti nullae inter Academicas sunt disciplinae, quae noceant, si quis recta via per eas ingrediatur, nec in semitas et anfractus studiose aberret;

sic certe illa Antiquitatis et Historiarum notitia modeste quaesita et culta, nec effusa in minutias, praeparat atque instruit animos Juvenum ad graviores mox scientias facilius et liquidius percipiendas, ac dein, ubi jam ex his Musarum umbraculis in theatrum, vel lucem publicam, erunt producti, luculentius atque utilius exercendas.” Perizonii *orat.*, p. 41.

- 3, 1 *musei*
hoc vocabulum sensu “cabinet d’étude”, “Studierzimmer” apud veteres nusquam reperitur, cf. *Antibarb.*, 2, p. 116. ceterum de celeberrimo illo Alexandriae museo vide Ruhn. *Schol. in Suet.*, p. 312.
- 3, 1 *umbratici*
vide praef.
- 3, 3 *vultus ... incessus ... motus ... vestitus*
eodem ordine vitia haec recensentur in: Ernesti, *Init. doct. solid.*, p. 490 sq. (pars III, cap. VI *De Decori Studio et Humanitatis Officiis*, § 178-180). Ianus vero primum de incessu manuumque motu (*Ian. doct. umbr.*, p. 74-76), deinde de sermone (ib. p. 76-78), tum tandem de vestitu (ib. p. 78-87) refert. ceterum cf. *Cic. orat.* 55-60; *de orat.* 213-227; *Quint. inst.* 11, 3.
- 3, 3 *incessus*
cf. 4, 12 adn.
- 3, 4 *Quodsi forte* etc.
cf. e. g.: “Accidit ergo huic, quod omnibus solet accidere, qui, dum vitae obscurae ac umbratili nimium adsuescunt, et festivam cum aliis consuetudinem negligunt, splendorem ferre non possunt: et si quando e museis in aulam protrahuntur, et in

ADNOTATIONES

lucem hominum, obstupescunt, vertigine laborant, et in orbe alio posuisse pedem suum videntur.” Ian. *doct. umbr.*, p. 72.

- 3, 11 *Pedantismi*
vide praef.
- 3, 12 *pulchritudinisque sensum*
aestheticae quidem vocem, ut barbaram, damnabat Ruhnkenius, et merito, cf. 9, 12 *inconcinne confictis* adn. sed *pulchritudinis sensus* latine dici nequit, licet nescius non sim, hodie quoque locutionem hanc saepe usu venire. cf. *Antibarb.*, 1, 118.
- 3, 13 *humanissimae literae*
vide 2, 5 adn. dixit quidem Cicero de Bruto qui “humanissimas litteras scripsit” (Att. 6, 1, 7), sed sensu “benignissimas”.
- 3, 14 *an veteres etc.*
cf. “Tantum enim abest, ut humanitatis studia, quae horridos atque feros mores propellunt, ullum cultorem ineptum reddant, ut potius humaniores, sapientiores, atque etiam prudentiores omnes faciant.” Ian. *doct. umbr.*, p. 4.
- 4, 6 *Difficilis ... puero*
Hor. *ars.* 173 sq.
- 4, 6 *o! tempora, o! mores!*
Cic. *Catil.* 1, 1.
- 4, 7 *immanem in puerorum terga saeviendi consuetudinem*
in hac re tractanda Ruhnkenius humanissimus omnium qui in simili argumento versabantur extitit. cf. e. g.: “Multi Scholarum magistri discipulos verberibus caedunt, si syllabam minus recte pronuntiant, aut missam faciunt, sed de moribus incom-

tis, quibus depravati sunt, ne verbum quidem proferunt.” Ian.
doct. umbr., p. 92.

- 4, 8 *plagosi Orbili*
cf. “memini quae plagosum mihi parvo / Orbilium dictare”
Hor. epist. 2, 1, 70 sq.
- 4, 10 *tribunal, Scioppiano isti simile*
nam Scioppius (Kaspar Schoppe 1576-1649) summos viros Thuanum (Jacques-Auguste de Thou 1553-1617), Scaligerum (1, 5 adn.), Lipsium (Joest Lips 1547-1606), Casaubonum (12, 13 adn.), Stradam (Famiano Strada 1572-1649) propter peregrinitates barbarismos soloecismos procacibus eisdemque eruditissimis scriptis incessebat, cf. John Edwin Sandys, *A History of Classical Scholarship*, Cambridge 1908 [ed. anast. New York 1958], vol. 2, p. 363 et Florian Neumann, *Schoppe contra Strada* in: *Kaspar Schoppe (1576-1649), Philologe im Dienste der Gegenreformation. Beiträge zur Gelehrtenkultur des europäischen Späthumanismus*. Herausgegeben von Herbert Jaumann, Frankfurt 1998 (*Zeitsprünge: Forschungen zur Frühen Neuzeit*. Hrsg. Klaus Reichert, Bd. 2 [1998], Heft 3/4), p. 298 sqq.
- 4, 12 *gravitatem affectent* etc.
eandem rem maiore verborum ambitu depingit Ianus: “Iam cum stolidam ambitionem occultare non possint, pedes ad gravitatem Hispanorum componunt, ut prae aliis videri velint. Corpus fingunt, ut qui eiusmodi hominem videt, ab irrisione animum continere nequeat. Cervice rigida et capite ad alteram partem inflexo incedunt, more prorsus insolito vultum torquent, labia comprimunt, sublimia meditantur, non secus, ac si pro totius romani imperii salute curam agerent.” Ian.
doct. umbr., p. 74 sq.

ADNOTATIONES

- 4, 13 *contentui*
cf. 3, 1 *contentu* adn.
- 4, 13 *congressumque suum ... a viris illustrioribus vitari*
cf. e. g. Ian. *doct. umbr.*, p. 71 sq.
- 4, 14 *tanta* etc. *debebat*
credo Ruhnkenium si quidem ei orationem hanc iterum edere contigisset, immutaturum fuisse in: “tantam etiam dignitatem esse oportebat” (sic conieci ex mente Ruhnkenii. neque tamen absurdum esset scribere “par erat”, cf. “Jenes [sc. par est] sagt, daß die Anforderung dem gegenseitigen Verhältnisse [...] entspricht, also billig ist, dieses [sc. oportet], daß es die absolute Pflicht ist; jenes bestimmt die Pflicht aus quantitativen Rücksichten, dieses aus rein qualitativen.” Seyffert-Müller, *Lael.*, p. 487); sicut quae antea in *Elog. Hemst.* dedit: “Animus ejus erat, qualis esse debebat tot salpientum praeceptis conformatum etc.”, secundis curis correxit: “qualem esse oportebat” (Ruhn. *orat.*, p. 278 sq.); et “non tales emendationes, quales a principe Criticorum proficisci *debebant*” mutavit in: “proficisci *par erat*” ib. p. 273.
- 4, 14 *contentum*
cf. 3, 1 *contentu* adn.
- 5, 2 *solidiorem doctrinam*
hanc locutionem postea ipse damnavit in adnotationibus ad Mureti scripta: “*Solida* doctrina ἄκρῳν est, nec Latinis usitatum: ut mirer, elegantissimum librum, quo Philosophiae elementa traduntur, ab Ernesto inscriptum esse: Initia solidioris doctrinae.” Ruhn. *orat.*, p. 521 [elegantissimum autem librum vocat Ioannis Augusti Ernesti *Initia doctrinae solidioris*. cf. praeterea: “Muretus et | Ernestus bene scripserunt, pure etiam in

habitu et forma; ita tamen, ut in singulis verbis ac dictionibus aliqud subinde sordium adhaeresceret: quod in Mureto notavit Ruhnkenius: in Ernesto item notare poterat, si hoc agere voluisset.” Wytt., *Vita*, p. 227 sq.], cf. *Antibarb.*, 2, p. 584.

anno 1751 eundem errorem commisit in *praefatione Lexici Timaei* (quem tamen anno 1789 repetita editione correxit [Ruhn. *orat.* p. 68]), item in *oratione de Graecia artium ac doctrinarum inventrice* anno 1757 “solidioris doctrinae parentem” scripsit (Ruhn. *orat.*, p. 86). Fridericus Augustus Wolfius *subtilem* doctrinam quam *solidiorem* malebat, vide *Erinnerungen an F. A. Wolf. Ein Beitrag zu seiner Lebensgeschichte ...* von Professor Hanhart, Basel 1825, p. 62. vide praeterea praef. meam.

5, 6 *in reipublicae luce etc.*
vide praef.

5, 8 *pulchritudinis sensum*
cf. 3, 12 adn.

5, 11 *elegantiori sexu*
nove dixit Ruhnkenius, bellos, ut opinor, quosdam ex franco-gallorum gente homunciones imitatus (incidit igitur in “galantismum”, de quo v. Nikitinski, *Serg.*, p. 198., quo quidem vitio rarissime peccat noster). at romani femineum sexum imbecilem (cf. Tac. *ann.* 4, 50, 2) imbellem (ib. 14, 33, 1), invalidum (ib. 3, 34, 5), molliorem (Ps. Quint. *decl. mai.* 19, 5), miserri-mum (ib. 8, 6), infirmiore (ib. 8, 7; Hier. *epist.* 1, 4; Salv. *eccl.* 2, 63), sequiorem (Apul. *met.* 7, 8; 10, 23), pigriorem (Tert. *resurr.* 61), fragilem (Hier. *epist.* 54, 13, 1) atque deliciaiorem (August. *contra epist. Parmen.* 2, 10, 20) appellabant.

5, 11 *Galliae Menander*
Jean Baptiste Molière 1622-1673. cf. 7, 10 adn.

ADNOTATIONES

- 5, 11 *versionem*
 vox latinis auribus inaudita (melius utcumque dixeris “interpretationem”). eodem errore anno 1768 tenebatur cum Praefationem editionis Rutili Lupi scriberet (“e Quintiliano clarum est, Graecorum oratorum Latinas versiones exitisse” Ruhn. *orat.* p. 293).
- 5, 15 *venustatem ... gustare*
 Ruhnkenius in gustandi verbo communi eiusdem temporis sermonis consuetudine abutitur (cf. e. g. “gustare: *percipere vim, suavitatem alicujus rei.*” Io. Augusti Ernesti *Clavis Ciceroniana* ... Halae ⁴1777, p. 540). melius tamen dixisset “venustatem sentire, percipere”; nam “gustare” apud aureae aetatis auctores translate tantum sensu “atingere, primitias alicuius rei noscere”, non simpliciter “sentire” (pace *ThLL* 6, 2368, 37-44) dicitur. cf. praeterea 1, 5 adn.
- 5, 16 *illustrior*
 comitem Guilielmum Bentinckium (Willem Bentinck 1704-c. 1774) dicit, sicut ipse adnotavit. cf. “Non habet patria proceres illustriores, prudentiores, et bonis artibus ad omnem humanitatem magis exultos, quam fratres Guilielmum et Carolum Bentinckios. [...] Ac nescio, majorine gloriae sit Hemsterhusio, Bentinckiis placuisse, an Bentinckiis, Hemsterhusii virtutes intellexisse.” *Elog. Hemst.* in: Ruhn. *orat.*, p. 278.
- 5, 18 *sermonis puritatem*
 hic Cicero dixisset “sermonis integritatem” (*Brut.* 132), vel sim., vide *Antibarb.*, 2, p. 428. “puritatis” vocabulum eo sensu primum apud Hieronymum invenies: “mirarentur eam (sc. epistulam) pro doctrina et puritate sermonis” *epist.* 57, 2; “genus eloquii pressum est et nitidum, et cum Tulliana luceat puritate crebrum est in sententiis” ib. 58, 8. recentiorum exem-

pla invenies in Nikitinski, *Serg.*, p. 155; 192 adn. 565; ceterum mireris sane, Morhofium (Daniel Georg Morhof 1639-1691) in libro *De pura dictione latina* ab impuro isto *puritatis* vocabulo non abstinuisse, cf. e. g. “ex eo apparet puritatem dictionis triplici ratione esse considerandam etc.” Dan. Georg. Morhofii *De pura dictione latina liber*. Io. Laur. Moshemius ... edidit et notas adiecit, Hanoverae 1725, p. 2. sed hoc vitium alte sedit apud recentioris aetatis scriptores.

5, 19 *occurrat*

falso dicitur: “locus, sententia, verbum, occurrit” apud scriptorem. latinitatis ratio postulat: “est, invenitur, legitur”. cf. *Antibarb.*, 2, p. 200.

5, 20 *fabulas ad ineptias usque consecantur*

fortasse Staverenus (vide praef.) hic se potissimum peti putabat. nam is librum confecit q. i. *Auctores Mythographi latini* ... cum integris commentariis Jacobi Micylli, Joannis Schefferi, et Thomae Munckeri, quibus adcedunt Thomae Wopkensii emendationes ac conjecturae. Curante Augustino van Staveren, Qui et suas animadversiones adjecit. Lugd. Bat. et Amstelæd. 1742.

5, 21 *Non illi* etc.

cf. Goethii: “Ein Lump bleibt freilich ein Lump, und eine kleinliche Natur wird durch einen selbst täglichen Verkehr mit der Großheit antiker Gesinnung um keinen Zoll größer werden. Allein ein edler Mensch, in dessen Seele Gott die Fähigkeit künftiger Charaktergröße und Geisteshoheit gelegt, wird durch Bekanntschaft und den vertraulichen Umgang mit den erhabenen Naturen griechischer und römischer Vorzeit sich auf das Herrlichste entwickeln und mit jedem Tage zusehends zu ähnlicher Größe heranwachsen.” Johann Wolfgang

ADNOTATIONES

Goethe, *Sämtliche Werke. Briefe, Tagebücher und Gespräche. II. Abteilung, Band 12 (39): Johann Peter Eckermann, Gespräche mit Goethe in den letzten Jahren seines Lebens.* Hrsg. Christoph Michel unter Mitwirkung von Hans Grüters, Frankfurt am Main 1999. p. 597 (1.04.1827).

5, 23 *Quid Sirenes cantare sint solitae?*

cf. “nam et grammaticos, quod genus hominum praecipue, ut diximus, appetebat, eius modi fere quaestionibus experiebatur: quae mater Hecubae, quod Achilli nomen inter virgines fuisset, quid Sirenes cantare sint solitae.” Suet. *Tib.* 70, 3, cui loco artius inhaeserunt Perizonius (“Neque etiam decorum Principi, quod fecit Tiberius, experiri an vexare Grammaticos solitus inanibus quaestiunculis, *quae mater Hecubae, quid Sirenes cantaverint.* Ea enim cum per se nihil conferant ad usum vitae, publicae privataeve, nec lucem ullam priscae Veterum Sapientiae fenerari queant, quis negare ausit, illos, quique sunt, qui in his rebus unice et strenue movent lacertos, nulla alia ducti ratione, nisi ut eas sciant, occupari labore diligentiae prorsus obscurae vel miserae; certe inanis plane jactantiae.” Perizonii orat., p. 39), Ianus (“quae mater Hecubae? quale nomen Achilli inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solitae?” Ian. *doct. umbr.*, p. 14 [haec sicut alia multa sumpsit ex Menckenio: Mencken. *charlat.*, p. 74 sq.]), Ferrarius, scriptor elegantissimus, cf. Nikitinski, *Serg.*, p. 48 sqq. (“Nihil praeter antiquas illas naenias, utrum maior aetate fuerit Homerus an Hesiodus, quasi magis ad rem pertineat scire, Telemachus an Ulyssis canis antiquior fuerit: quotque hic socios habuerit, et quo nomine vocarentur: quae mater Hecubae, quid Sirenes cantare sint solitae.” *Prolusio VII. Suppetiae criticis latae* in: Octavii Ferrarii *Opera varia*, Wolffbuttelii 1711, p. 74). vide praeterea praef.

- 5, 23 *quae nomina fuerint heroum in equo Trojano*
 ea nomina ex Hygino petita inuenies in Stavereni *op. mem.* (cf. 5, 20 adn.), p. 199 sq.
- 5, 23 *Cyclops*
 de Cyclopiibus quot fuerint quidve fecerint fuse agit Staverenus, *op. mem.* (cf. 5, 20 adn.), p. 113; 219; 946, sed de canibus quaestionem intactam reliquit.
- 5, 23 *Cicerone*
 de Ciceronianis cf. Nikitinski, *Serg.*, p. 32 sqq.
- 6, 3 *praeposteram ... diligentiam*
 de hoc litterarum malo satis etiamtum recenti egit Ernestus: "Ecce vero aliud repente malum! Cum illi praeclari viri [Io. Frid. Gronovium et Graevium dicit] ad intelligendos scriptores graecos et latinos plurimum prodesse ostenderent cognitionem antiquitatis graecae et latinae, rituum et morum antiquorum, eamque et ipsi iuarent vel docendo vel libris antiquariis edendis, accepta est res et culta diligentius. Ibi tum maior pars repente se totam eo convertit, et nihil nisi antiquitates loqui coepit. Itaque effectum est paullatim, ut literas humaniores nosse, earumque scientiam ostendere, nihil aliud esset, quam locos quosdam antiquitatis in promptu habere, super iis collecta ex Indicibus, Lexicis, vel in Lectionibus super auctores veteres, vel in Commentariis, libellisque aliis proferre et iactare, cum magna pompa auctoritatum, et latis notarum, nominibus illustribus splendentium, limbis. Haec, me adolescente, ratio dominabatur, haec in Scholis, haec in hac ipsa Academia [sc. Lipsiensi] valebat maxime, cum Gesnerus, ante hos prope quadraginta annos, in hanc Urbem venit, cum ipse ad docendum accessi. Ego vero, cum ille a nobis abisset, hanc rationem oppugnare coepi etc." Io. Augusti Ernesti *Ar-*

ADNOTATIONES

chaeologia literaria, Lipsiae 1768, p. XII sq., cf. Gesneri *Dissertationem de vi consuetudinis ac saeculi in studiis litterarum* in: Io. Matthiae Gesneri *Opuscula minora argumenti varii*, Vratislaviae 1743, t. 1, p. 11.

- 6, 4 *in levibus nugatoriisque inquirendis versantur* etc.
at longe aliter Ruhnkenius, qui in praelectionibus Antiquitatum Romanarum in Academia Lugdunobatava “[...] et universe totius rei publicae imperiique ingenium et causam, et singularum partium formam, statum, conversiones, ordinum jura et conditionem, magistratum munera, porro instituta, mores, leges, in rebus publicis, privatis, domesticis, civilibus, militaribus, sacris, historica et vere Polybiana ratione explicabat. Deinde singulis locis adhibebat grammaticam criticamque interpretationem, tamquam veri obrussam; ne rei vulgo traditae, aut falsae aut non satis perceptae, vel ipse assentiret, vel assentiri discipulos sineret, sed ab assentiendi eos temeritate cohiberet, et ad eandem iudicii severitatem adsuesceret. Atque harum rerum materiam non e turbidis recentiorum rivulis, sed e limpidissimis Veterum fontibus hauriebat: aut si quos recentiores advocaret, non eos promiscue e Graeviano Thesauro aut similibus collectionibus promebat; sed eorum qui postea fuissent, et Antiquitatum locos singulares, vel singularibus libris, vel in animadversionibus ad veteres Scriptores ab ipsis editos, explicuissent, et accuratissimi cujusque maxime et rationem ducebat et mentionem faciebat, cum aliorum, tum in primis Dukeri et Ernesti.” Wytt., *Vita*, p. 108 sq. cf. 11, 3.

- 6, 5 *Montesquieuusius*
Charles de Secondat, Baron de la Brède et de Montesquieu 1689-1755. cf. *Considérations sur les causes de la grandeur des Romains et de leur décadence* (1734) et *De l'esprit des lois* (1748).

NIKITINSKI

- 6, 8 *rite*
cf. tamen *Antibarb.*, 2, p. 519.
- 6, 9 *insulsaе de veterum calceis, annulis, fibulis, et poenulis compilationes*
quales in unum collectas videre licet e. g. in Io. Georg. Graevii
Thesaurο antiquitatum romanarum (1694-1699, 12 voll.), vide
6, 4 adn.
- 6, 9 *poenulis*
sc. paenulis, cf. *ThIL* 10, 68, 68.
- 7, 3 *Scaligeros*
Iosephum Scaligerum dicit, 1, 5 adn.
- 7, 3 *Casaubonos*
Isaac Casaubon 1559-1614.
- 7, 4 *nescio, an*
ad aureae aetatis usum se accomodat Ruhnkenius, cf. “Ac nescio an optandum sit, ut duplicis generis Lexica conficiantur” (sensu: credo, optandum esse etc.) Ruhn. *orat.*, p. 503 et in *adn. ad Muret.* ib. p. 529. semel tamen titubavit in Elogio Hemsterhusii, ubi ad argenteae aetatis normam dixit: “haud scio, an multum fallamur” (ib. p. 239) sensu: credo, nos non multum falli. cf. KS 2, 522 sqq.
- 7, 10 *Bossueti*
Jacques Bénigne Bossuet 1627-1704, orator Francogallorum maximus. cf. Nikitinski, *Serg.*, p. 117 sq.
- 7, 10 *Fenelonii*
François Fénelon 1651-1715, auctor Xenophonteaе suavitat̄is.

ADNOTATIONES

- 7, 10 *Molierii*
 5, 11 adn. ceterum nominis forma praestat q. e. “Molerius”, ut quae a Francogallis usurpata (e. g. in: *De mala ingeniorum contagione vitanda oratio, habita Lutetiae Parisiorum, in regio Ludovici Magni collegio societatis Jesu, A Natalistephano Sana-done, ex eadem societate. VI. decembris an. M.DCC.XIII.*, Lu-tetiae Parisiorum 1714, p. 62); plerique tamen forma “Molie-rius” utebantur, e. g. in *Elogio Iohannis Meermanni* (Fridericus Lindemann in: *Vitae duumvirum Tiberi Hemsterbusii et Davidis Rubnkenii altera ab eodem Rubnkenio altera a Dan. Wyttenbacho scripta ... curavit* Fridericus Lindemann Lipsiae 1822, p. 230).
- 7, 10 *Cornelius cum Sophocle, Racinius cum Euripide comparatus*
 anno 1758 in *Dedicat. ed. Rutil.* Lupi Ruhnkenius laudabat Franciscum Fagel, qui “qua facilitate Cornelium et Racinium, eadem Sophoclem et Euripidem” (Ruhn. *orat.*, p. 283) legere solebat.
- 7, 10 *Cornelius ... Racinius*
 Pierre Corneille 1606-1684; Jean Racine 1639-1699. cf. Ni-kitinski, *Serg.*, p. 226 sqq.; 118.
- 7, 11 *Fontanum*
 Jean de La Fontaine 1621-1695, fabularum scriptor lepidissi-mus.
- 7, 14 *auctoribus*
 “auctor” sensu “scriptor” inde a Seneca usu receptum, cf. *An-tibarb.*, 1, p. 216 sq.
- 8, 1 *sit*
 expectares “esset”, sed et sic dici potest, cf. KS 2, 192; LHS, 550 sq. cf. 11, 10.

8, 3 *Poesis ... Mathesis*

de multiplici doctrinae copia, qua virum vere eruditum instructum esse oportet egit Ruhnkenius in *Elogio Tiberii Hemsterhusii* (Ruhn. *orat.*, p. 249 sqq. et strictim in *Dedicatione editionis C. Veleii Paterculi* ib. p. 451). cf. praeterea *Narratio de Jo. Matthia Gesnero ad Davidem Ruhnkenium* [hanc vitae Gesnerianae enarrationem scripsit admonitu Ruhnkenii, vide epistulam ad Io. Aug. Ernestum d. 12 Febr. 1762 datam. in: Ruhn. *orat.*, p. 662 sq.] in: Jo. Aug. Ernesti, *Opuscula oratoria*, Lugduni Batavorum 1767, p. 483 sqq. et: “quod quidem Grammaticorum Criticorumque multorum exempla declarant, qui, cum de rebus grammaticis, criticis, historicis, eleganter scribant, de rebus philosophicis, aut mathematicis, scribentes, nihil, quod placere possit, afferunt: id quod ex eo tempore invaluisse arbitror, quo huius generis homines quidam coeperunt ab arte Philosophiam et Mathesin seiungere, et omne studium suum ad poetas, oratores historicosque, neglectis de Philosophia et Mathesi veterum libris, conferre.” Io. Aug. Ernesti, *Initia doctrinae solidioris*, Lipsiae ⁴1758, f. 16^v.

8, 3 *inprimis Philosophia*

Ruhnkenius, cum iuvenis esset philosophiae haud mediocrem operam navavit, postea vero non quidem refrixit, sed ad sanum potius iudicium quam ad argutias studia philosophiae revocabat, dicitans “suavitatem fructumque Philosophiae positum esse in ratione et forma, non in materia et argumento; quippe de cuius veritate omnia esse incerta” Wyt., *Vita*, p. 16, et idem Wyttenbachius statim excipit: “De quo equidem ut nolim statuere, ita illud haud dubitanter affirmem, Ruhnkenium ex illa quaecumque fuit, Philosophiae cognitione, ejusmodi sensum ingeniique habitum traxisse, ut postea Philosophos Veteres et legeret libentius, et intelligeret facilius, quam solent fere literati Philosophiae ignari.”

ADNOTATIONES

de Ruhnkenio puero cf. Wytt., *Vita*, p. 16 et Friedrich Theodor Rink, *Ansichten aus Immanuel Kant's Leben*, Königsberg 1805, in: *Immanuel Kant in Rede und Gespräch*. Herausgegeben und eingeleitet von Rudolf Malter, Hamburg 1990, p. 384: "Unter allen ihren Mitschülern lebten Kant und Ruhnken in den innigsten Verhältnissen mit einander, und dies wird um so erklärlicher, wenn man weiß, was mir der Letztere einst bey minem Aufenthalte in Holland sagte, daß nämlich er selbst damahls eine besondere Vorliebe für die Philosophie, Kant aber für die Philologie besessen habe."

8, 4 *Quinctilianus*

Quint. *inst.* 1, 4, 4.

8, 9 *Scaliger*

cf. 1, 5 adn. *M. Manilii Astronomicon* a Iosepho Scaligero ex vetusto codice Gemblacensi infinitis mendis repurgatum. Eiusdem ... notae ..., Lugduni Batavorum 1600 [¹1590 Parisiis].

8, 9 *Huetius*

merito magnum illum Huetium (Pierre-Daniel Huet 1630-1721), auctorem omnium quotquot Gallia post Muretum tulit latinissimum (cf. Nikitinski, *Serg.*, p. 97 sqq.) atque praestantis ingenii criticum, uno spiritu cum Scaligero et Bentleio profert. cf. *M. Manilii Astronomica ... in usum Serenissimi Delphini* [ed. La Faye]. *Accesserunt Petri Danielis Huetii Animadversiones ad Manilium et Scaligeri notae*, Parisiis 1679.

8, 9 *Bentlejus*

Richard Bentley 1662-1742. *M. Manilii Astronomicon* ex recensione et cum notis Richardi Bentlei, Londini 1739. Bentleium "magnum" solitus est appellare Ruhnkenius, cf. e. g. Ruhn. *Schol. in Suet.*, p. 218.

- 9, 4 *Pace vestra ... caderet*
Petr. 2, 2.
- 9, 6 *cum Euandri matre loquantur*
cf. Gell. 1, 10, 1; “tu autem proinde quasi cum matre Euandri nunc loquare, vis nobis verba multis iam saeculis oblitterata revocare” Macr. *sat.* 1, 5, 1. cf. “Cum enim omne recte scribendi consilium ad unius Ciceronis, et ut quisque ei simillimus est, normam dirigere debuissent [sc. Apuleius et Aulus Gellius], non ii quidem optimos illos omnino reliquerunt, sed tamen cum eorum imitatione scriptores ex ultima antiquitate repetitos ita conjunxerunt, ut modo cum Cicerone, Caesare, Livio, et similibus, modo cum Euandri matre loqui viderentur.” *Praef. Apuleii Oudendorpiani* (a. 1786) in: Ruhn. *orat.*, p. 480 sq.
- 9, 7 *Symmacho et Sidonio Apollinari*
Ruhnkenius in *Praefatione ad Schelleri Lexicon* lexica vituperabat, ubi “tamquam idonei testes citantur Ammianus Marcellinus, Sidonius Apollinaris, Cassiodorus, etc. id est, scriptores Latine balbutientes.” Ruhn. *orat.* p. 501. cf. *Praefationem editionis Mureti*, ib. p. 489 et adnotationes ad Muretum, ib. p. 534. Ruhnkenius vero laetum illum atque purum quem admiramur sermonem finxit “legendo Cicerone, adhibito item Terentio, Nepote, et simillimo quoque horum nativa elegantia castaque simplicitate.” Wytt., *Vita*, p. 33.
- 9, 11 *vir quidam*
“*Aug. Staverenum* [de eo vide praef.] minus recte intelligit Kiddius in Ind. ed. op. Ruhnk.; nam de *vivo*, nec de *Rectore*, sed de *mortuo* et de *Professore* h. l. agi, perspicuum est. Quem voverit Ruhnkenius, non facile dixerim; fortasse *P. Burmannum Sec.* [...]” haec Bergmannus in: Ruhn. *orat.*, p. 130 sq. et Frie-

ADNOTATIONES

demannus: “Jac. Gronovium h. l. dici existimat *Bardili*; hujus enim dicendi genus esse, quod Ruhnkenius perstringit.” ib. p. 131. potior mihi Bardilii sententia videtur, qui Iacobum Gronovium (Jakob Gronov 1645-1716) intellegit, cf. Nikitinski, *Serg.*, p. 177. nam, ut temporis rationem taceam, quomodo Petrus Burmannus Secundus (Pieter Burman II 1714-1778), quocum etsi male conveniebat Ruhnkenio (cf. Wytt., *Vita*, p. 92; Ruhn., *orat.*, p. 673), peti potuerit a Ruhnkenio tamquam *vir doctissimus*, qui ipsius sententia non admodum eruditus erat atque “... edenda Anthologia Latina satis ostendit, se vulgarium potius notarum consarcinatorem esse, quam Criticum elegantem et sollertem” (ib. p. 665), non satis assequor.

9, 11 *extemporali oratione*

ex tempore dicendi facultatem non magni aestimabat Ruhnkenius neque ipse ea facultate excellebat, “qui, ut acerrimo erat cum omnis pulcri venustique, tum Latinae orationis sensu studioque, ita nolebat se continuo extemporali consuetudini committere, ne quid vitiosi traheret. Meminerat illud Thucydidis: *peritia timorem, imperitia audaciam facit* [Thucyd. 2, 40, 3]; meminerat homines Latine doctissimos ex tempore disserentes haesitare subinde ac subsistere, quod nomen verbumve sibi probatum non succurreret; meminerat etiam imperitos audacter se in extemporale flumen coniiicientes, lutulentos quidem barbariei et inficetiarum sordibus fluere [cf. *Hor. sat.* 1, 4, 11], sed fluere tamen magno et suo cum strepitu et audientium plausu.” Wytt., *Vita*, p. 75.

ceterum Ruhnkenius hac extemporali loquendi facultate ne in familiaribus quidem colloquiis pollebat. hac de re scribit clarissimus ille Fridericus Augustus Wolfius qui, cum Ruhnkenius proveciore iam aetate Lugduni Batavorum ultimos vitae terminos tangeret corpore quidem propter podagricos

N I K I T I N S K I

et chiragricos dolores aegro mente vero vicens, tunc iuvenis admodum in urbem venit atque devertit ad nostrum a quo humanissime exceptus est et colloquiis non tantum eruditus sed domesticis etiam interfuit, unde multum delectationis cepit. sed age sinamus Wolfium ipsum loqui: “*Rubnkenius*, dem der Verf. [se ipsum dicit] in dessen letzten Lebensjahren einen Besuch machte, der zu den angenehmsten Erinnerungen seines vorigen Lebens gehört. Damals hörte er selber den herrlichen Mann im Umgange das ihm eigene Französisch sprechen, das in Holland allgemein berühmt war. Lateinisch mochte er auch mit ausländischen Gelehrten nicht reden: die Sprache wäre zu gut, um durch gewöhnlichen Gebrauch verderbt zu werden. Holländisch sprach er mit seinen Hausleuten, auch nicht sehr fertig; Deutsch gar nicht. [...] Wer nicht wusste, was das Herkommen der Universitäten einen Prof. der *Eloquenz* nennt, hätte beide Männern [sc. Ruhnke. et Christ. Saxe] ihre Profession im Gespräch schwerlich anmerken können.” Wolf, *Kl. Schr.*, vol. 2, p. 927. adeo verum est viris eruditus linguarium non deberi.

9, 12 *philosophi*

Theodiscos maxime petit.

9, 12 *inconcinne confictis*

exemplo erit inepta vox “aesthetica” et pater eius Alexander Baumgarten, vide Nikitinski, *Serg.*, p. 197 sq. et Gerretzen, *Schola Hemst.*, p. 128; 294 sqq.; 364; 366 adn. 3.

9, 15 *M.*

sc. Magnus.

9, 15 *Scribendi recte* etc.

Hor. *ars* 309.

ADNOTATIONES

10, 10 *anagrammata* etc. *isopsepha*

cf. "Non inique huc etiam referuntur, qui multum operae collocant in versibus anadromis, acrostichis, chronostichis, anagrammatibus, et quae cetera sunt harum non adeo utilium occupatio | num. *Quin et*, inquit laudatus Menckenius in Charlet. [sic] Erudit. pag. 146 [= Mencken. *charlat.* p. 99], *nova comminiscuntur carminum genera, Choriantica, Asclepiadica, Dicola, Distropha, Tetrasticha, Acrosticha, in quibus non quod pueri in faba invenisse sibi videntur.*" Ian. *doct. umbr.*, 21 sq.

10, 11 *poëtastrorum*

Friedemannus ad l. docet hoc verbum esse e vulgari Italorum sermone ductum. cf. "*Poëtaster, ein Dichterling, Versmacher, armseliger Dichter*, ist N. L. [= neulateinisch] für *malus poeta, versificator, poëta nescio quis*. [...] Will man poëtaster brauchen, so entschuldige man die Neuheit des Wortes." *Antibarb.*, 2, p. 317. sed haec ut alia pleraque nimis severe damnat Krebsius. equidem cur talia vocabula lectoribus anxie excusare debeamus, non video; quamquam, quod ad hoc vocabulum attinet, meis auribus male sonat.

11, 3 *Polybii normam* etc.

vide **6**, 4 adn.

11, 5 *Extiterunt* etc.

saeculo XVII in Germania potissimum multi huius farinae eruditi celebres habebantur, ut Ioannes Henricus Boeclerus (Iohann Heinrich Böckler 1611 [1610]-1692), qui Ruhnkenio iudice, recte statuente "civilem prudentiam ultro existere e certa Antiquitatis interpretatione" Wytt., *Vita*, p. 198, e numero bonorum antiquitatis studiosorum excludendus est propterea "quod dudum explosa est a viris doctis, inprimis a Cl.[arissimo] Ernesto in pulcherrima praefatione ad Tacitum

p. 49 eorum stultitia, qui Historicos politica ratione interpretantur” *Praef. edit. Velleii Paterculi* in: Ruhn. *orat.* p. 457.

prima Taciti ed. Ernestina prodiit a. 1752, altera 1772. Ruhnkenius vero haec fere verba respicit: “Sunt autem duo genera [sc. interpretum Taciti]: alterum eorum, qui de emendatione corruptorum, et explicatione obscurorum laborarunt: alterum horum, qui prudentiae civilis e Tacito discendae magistros se professi sunt. Huius generis magna multitudo superiori saeculo extitit. Etenim tempus fuit, quo in magno praetio ista ratio haberetur, atque adolescentes cupide et frequenter ad scholas confluerent, in quibus non tam agebatur hoc, ut Tacitus recte intelligeretur, quam ut civilis prudentia, ut iactabant, e Tacito disceretur: allicientibus stultitiam adolescentum illius rationis praeconibus, qui politicas artes induere isti aetati stulte tentarent. Abiit tempus illud. Coeptum est intelligi, quam parum utilis in eo labor susciperetur.” C. Cornelii Taciti *Opera ex recensione* Ioh. Augusti Ernesti denovo curavit Ier. Iac. Oberlinus, Lipsiae 1801, t. 1, p. LXV sq. ceterum cf.: “Fuit quoddam tempus superiori saeculo, cum homines quidam, eruditi illi quidem, sed non satis subacti severa literarum graecarum et latinarum disciplina [..] quod audierant, auctoribus graecis et latinis, imprimis historicis, cognoscendis, prudentiam politicam comparari posse, totam rationem eorum cognoscendorum ad hanc partem trahebant, et, relicta severa interpretandi et intelligendi ratione, in Scholis et in Commentariis Politicam tantum artem sequebantur. Eius rei dulcedine, praesertim, quae difficultatis nihil haberet, capta iuventus, nihil nisi sententioles politicas et locos communes de rebus civilibus captabat, secura interpretationis accuratae et utilitatis ceterae, ex scriptorum veterum lectione recte instituta capiendae. Sublatum est hoc literarum malum per disciplinam I. F. Gronovii et Graevii.” Io. Augusti Ernesti *Archaeologia literaria*, Lipsiae 1768, p. XI sq.

ADNOTATIONES

- 11, 8 *pulchritudinis sensum*
cf. 3, 12 adn.
- 11, 9 *conetur*
potest scribi et “conatur”. sed in talibus coniunctivum Ruhnkenio solitum fuisse docet Friedemannus ad l., cf. “Multo enim satius duxi, vel cum famae et existimationis, quantula demum cunque sit, dispendio popularem afferre orationem” Ruhn. *orat.*, 84.
- 11, 10 *magistra sit*
“malim aut *est* aut *esset*” Friedemannus ad l. cf. tamen 8, 1 adn.
- 12, 1 *veri obrussa* etc.
cf. 6, 4 adn.
- 12, 1 *nullis limitibus circumscripta*
Perizonius quoque edixit Grammaticam Criticamve “nullis pene terminis circumscribi, sed per omnes se disciplinas quam latissime effundere” Perizonii *orat.*, p. 33.
- 12, 6 *possem*
vide KS 1, 174, cf. 2, 6 adn.
- 12, 7 *Nonium Marcellum ... Livium*
hoc exemplo opponuntur fragmentorum auctores auctoribus integris probatisque: illi ad minutiarum studium plerumque utiles, his vero solis assidue tractandis copia rerum et dicendi ars perpoliri potest. constabat tamen apud Ruhnkenium suus quoque minutiis illis honor, cf. “Ruhnkenii [...] miremur ingenium, qui et parva illa [...] sed sine quibus maxima nemo consequi potest, intime perspecta pertractataque habuit, et tamen legendis integris Scriptorum libris ingenium ad copiam

rerum et verborum aluit ac polivit.” Wyt., *Vita*, p. 82. cf. e. g. “Ernesti ipse fatetur (praef. fol. 3^v) praecipue D. Ruhnkenii benignitati et amicitiae deberi quod editioni suae (1761) [sc. Callimachi] fragmentorum quoque ‘auctarium’ (fr. 418-63) adicere potuerit.” *Callimachus*. Edidit Rudolfus Pfeiffer, Oxonii 1953, vol. II, p. xlvi.

12, 9 *viri*

editio anni 1761 dat: “veri”, nullo sensu.

12, 9 *Joan. Freder. Gronovii*

cf. 1, 6 adn.

12, 9 (*)

Sylloges epistolarum a viris illustribus scriptarum, collecti et digesti per Petrum Burmannum, Leidae 1724-1727, 5 voll.

12, 9 *aurea verba* etc.

sententiam vere auream profert et quae humanitatis studiis inde a Petrarcae temporibus facem praeferebat. cf. “Ego quidem, etsi michi fidem etas [i. e. aetas] deroget, teste tamen conscientia, lego non ut eloquentior aut argutior sed ut melior fiam [...]” Petrarca, *fam. rer.* 1, 3, 8 (*Le familiari*, ed. V. Rossi, Firenze 1933, vol. 1, p. 23).

“[...] usui, non pompae, volui servire. Vide mea vel a juvenilibus annis, semper scintillae aliquae ad Virtutem aut Prudentiam praelucentes: semper animus ille apertus, amans generosi et honesti. At grandior paullo, non jam occulto aut obliquo tramite, sed palam et recta illuc ivi. Ego ad Sapientiam primus vel solus mei aevi Musas converti: Ego e Philologia Philosophiam feci.” Justi Lipsii *Opera omnia*, Vesaliae 1675, vol. 2, p. 413. eiusdem sententiae fuit Ernestus cum diceret (unaque sentiret), Graevio persuasum fuisse “summam et pene

ADNOTATIONES

unam ex auctoribus illis petendam utilitatem esse, *ut sapere discamus*, eo cuncta referenda, in eo esse omnia.” Io. Aug. Ernesti, *Opuscula varii argumenti*, Lipsiae 1794, p. 42.

“Scientiae huius est finis, omnem illam ex antiquis monumentis materiam proferre ad ingenii cultum fructumque, vitae usum, virtutis et honestatis studium, referre; officium, id est, via qua hunc finem consequitur, positum est in gramatica interpretatione, quae diligente ac accurata linguae verborumque cognitione ad rerum cognitionem proficiscitur.” Wytt. *Vita*, p. 24. et Fr. Aug. *Wolf*, *Kl. Schr.* p. 837.

quid de fine studiorum antiquitatis Belgae (Batavi) saec. XVII et XVIII senserint vide Gerretzen, *Schola Hemst.*, passim.

12, 11 *contemptum*

cf. 3, 1 *contemptu* adn.

12, 13 *Is. Casaubonum*

cf. 7, 3 adn.

12, 13 *J. Fr. Gronovium*

cf. 1, 6 adn.

12, 13 *N. Heinsium*

Niklaas Heinsius 1620-1681. cf. e. g. “Uni Heinsio integritatem, uni Heinsio salutem debet Ovidius, quo inde a renatis literis non exstitit felicior Latinorum poetarum sospitator et interpret.” Ruhn. *dict. ad Ovid.*, p. 1. Heinsium sospitatore poetarum latinorum proclamat: “Duo praestantissimi viri, N. Heinsius et P. Burmannus, omne studium suum in Poetis Latinis expoliendis consumserunt, pari uterque eruditione, sed dispari acute sentiendi et feliciter divinandi facultate. Alter igitur Poetarum Latinorum sospitator dictus est, alter non po-

tuit in tantae gloriae societatem venire.” *Elog. Hemst.* in: Ruhn. *orat.*, p. 230. cf. Franz Felix Blok, *Nicolaas Heinsius in dienst van Christina van Zweden*, Ursulapers/Delft 1949, p. 218 sqq.

12, 13 *J. G. Graevium*

Johann Georg Graevius (Graeve, Greffe) 1632-1703. cf. *tamen* 6, 9 adn.; 11, 5 adn.

12, 14 *premitur etc.*

cf. “Nec alienum est, qui Critici nostri animus et mores fuerint, quaerere, praesertim cum de Criticorum moribus ea inveteraverit opinio, ut nullum eruditorum genus ferocius, truculentius, magisque contentiosum habeatur. Equidem negare non possum, tales et olim fuisse, et fortasse etiam nunc esse. Addo etiam, ridiculas istorum pugnas de verbis et parvi momenti rebus Criticam non leviter infamasse.” *Elog. Hemst.* in: Ruhn. *orat.*, p. 276.

12, 14 *qui reprehendendi libidine, rixandique furore agitati etc.*

multa huius rei exempla invenies in Menckenii oratione quae est *De origine et causis bellorum inter eruditos*, in: Ioannis Burchardi Menckenii *Orationes academicae, maximam partem literariae* ... Lipsiae 1734, p. 425-447.

14, 1 *humaniorum ... literarum*

cf. 1, 5; 2, 5 *melioribus literis* adn.

16, 1 *Tiberi Hemsterbusi*

Tiberius Hemsterhuys 1685-1766. spero me eximium illud *Elogium Hemsterbusii* aliquando editurum.

APPENDIX

Memoria orationis *De doctore umbratico* petita ex:

Vita Davidis Ruhnkenii

auctore Daniele Wytttenbachio

Lugduni Batavorum 1799, p. 89-92.

“Ruhnkenius per quatuor annos obtinuerat provinciam Lectoris magna cum industriae doctrinaeque laude, quum Oudendorpius moritur [anno 1761]: cui mox veluti de jure et pacto, adjuvante in primis Hemsterhusio, succedit in ordinaria Historiarum et Eloquentiae professione: eamque mense Septembre anni h.[uius] s.[aeculi] sexagesimi et primi auspiciatur dicta oratione de Doctore umbratico. In simili fere argumento erat Menkenii Lipsiensis libellus de Carlataneria Eruditorum, et Huberi Franequerani Antecessoris de Pedantismo. Quibus nominibus minime Latinis quid significetur, non est cur explicemus; quandoquidem quotidie non solum nomina audimus, sed res ipsas videmus. Ruhnkenii aliud erat institutum. Nam | ut complures in moribus Eruditorum sive sunt, sive esse dicuntur, ineptiae; ita ipse eorum probabat genus, in eoque et nomen profitebatur suum et ut censeretur studebat, qui in neutram partem conspicerentur, qui et in Literis et vitae consuetudine minimum haberent ineptiarum, elegantiae ac decori nec ignorantia aut negligentia, nec putida affectatione notarentur. Literarum doctorem volebat eum, qui earum et cognitionem ratione teneret, et

A P P E N D I X

pulchritudinem sensu perciperet, utramque in lucem promeret, in venustiorum hominum principumque civitatis virorum consuetudinem produceret, ad morum elegantiam referret, ad omnem vitae usum conditionemque accomodaret, et Socratica ratione popularem redderet. Hoc qui non ageret, sine sensu iudicioque pulcri Literas tractaret, ipse pinguis crassusque in scholae umbra se mirantibus jactaret discipulis, eorumque plausu inflatus beatum se et solum sapere putaret, hunc doctorem umbraticum intelligebat. Et argumentum Orationis congruebat Literarum professioni; et tractatio plane satisfaciebat Eloquentiae muneri, cum germana Latinitatis ratione, tum apta descriptione, tum perspicuitate, suavitate, gravitate: et vero adeo erat festiva et quasi Attico sale perspersa, tam frequens facetiarum leporibus, ut et attente audiretur, et cupide legeretur, omniumque | manibus frequentaretur. Sed eadem multorum in offensionem odiumque incurrit, multumque Ruhnkenio invidiae peperit. Erant qui doctoris umbratici imaginem ex ipsorum exemplo ductam, se depingi, significari, et quasi digito demonstrari putarent: erant nonnulli Scholarum Rectores qui hoc et ipsi putarent, et aliis hominibus scholasticis persuaderent, suum vitae genus ac munus in illa oratione rideri ac veluti in scena traduci a Ruhnkenio, sibi placente quod numquam in ipsorum ordine et obscuritate, semper in elegantiorum hominum principumque virorum consuetudine et celebritate, vixisset. Atqui Ruhnkenius doctorem umbraticum intelligebat universe eum, qui illis, de quibus diximus, ineptiis laboraret, nec Scholae potius Magistrum, quam Academiae Professore, spectaverat: scholasticum ordinem magni faciebat, a nemine, nisi qui ipsas Literas contemneret, contemni posse iudicabat, et quo magis laboriosum, eo majoribus praemiis laudibusque dignum censebat. Quod iudicium quum haud obscure prae se ferret, factum

A P P E N D I X

est ut multorum sibi voluntatem reconciliaret. Attamen haud paucorum in animis remanebant offensionis reliquiae, qui disciplinae suae alumnos Lugdunobatavam Academiam petentes ea opinione imbuebant, ut puterent se Ruhnkenii scholis iis, in quibus Scriptores Latini tractarentur, facile carere | posse. Atque hanc ego praecipuam fuisse dixerim causam, cur hae scholae non, pro earum praestantia et utilitate, frequentes fuerint. Accedebat, quod eandem sibi cathedram et deberi existimabant, et delatum iri speraverant Petrus Burmannus Secundus Amstelodamensis, et Johannes Schraderus Franequeranus, Professores, versatissimi sane in Latinis Literis homines, hic accurata, ille varia, doctrina clarus, qui ad has laudes etiam hereditariam Burmanniani nominis laudem adjungeret. Uterque eam sibi cathedram deferri optaverat, cum propter Academiae celebritatem, tum opportunitatem urbis, cujus in vicinia suum uterque habebat suburbanum, ubi ferias transigere solebant. Igitur fieri vix poterat, ut bona horum virorum gratia Ruhnkenius praeponeretur. Sed cum Burmanno eum animorum liberalitas et similitudo facilius reconciliavit: apud Schraderum sedit alta mente repostum hoc, veluti Paridis, judicium, spretaeque injuria doctrinae. Horum amici non verebantur dicitare, Ruhnkenium magis Graecae quam Latinae cathedrae aptum esse, nec provinciam civibus debitam debuisse peregrinum occupare. Quae vocolae ab insigniorine stupore an malevolentia profectae fuerint, difficile est statuere.”

I N D E X

- Aius Locutius 6, 4
 Alexander Magnus 9, 15
 Apollinaris 9, 7
 Aristophanes 7, 1
 Aristoteles 6, 6
 Augustus 5, 14
 Bentin(c)k, Guilielmus 5, 16
 Bentleius, Richardus 8, 9
 Bossuet, Jacques Bénigne
 v. Bossuetus
 Bossuetus 7, 10
 Burmannus, Petrus 1, 6; 9, 4
 Caesar 11, 10
 Casaubonus, Isaac 7, 3; 12, 13
 Centauri 12, 15
 Cicero 4, 9; 5, 23; 7, 1; 7, 5; 8,
 8; 9, 3; 9, 7; 9, 9; 9, 15
 Cloacina 6, 4
 Corneille, Pierre *v.* Cornelius
 Cornelius 7, 10
 Cunina 6, 4
 Cupido 10, 9
 Cyclops 5, 23
 Demosthenes 7, 5; 9, 3
 Euander 9, 6
 Euripides 5, 11; 7, 10
 Fénelon, François *v.* Fenelon-
 nius
 Fenelonius 7, 10
 Fontanus 7, 11
 Graevius, Ioannes Georgius
 12, 13
 Gronovius, Iacobus 9, 11
 Gronovius, Ioannes Fredericus
 1, 6; 12, 9; 12, 13
 Heinsius, Daniel 1, 6
 Heinsius, Nicolaus (12, 9);
 12, 13
 Hemsterhusius, Tiberius 16, 1
 Homerus 5, 21
 Horatius 5, 13; 5, 15; 5, 16;
 9, 15
 Huet, Pierre-Daniel
 v. Huetius
 Huetius, Petrus Daniel 8, 9
 La Fontaine, Jean de *v.* Fon-
 tanus
 Lapithae 12, 15
 Livius 7, 1; 11, 10; 12, 7
 Locutius *v.* Aius Locutius
 Lucretius 8, 7
 Maecenas 5, 14

I N D E X

- Manilius **8, 9**
 Menander **5, 11** “Galliae Me-
 nander” i. e. Molierius
 Mol(i)erius **7, 10; (5, 11)**
 Molière, Jean Baptiste
 v. Mol(i)erius
 Montesquieu, Charles de
 Secondat *v.* Montes-
 quieusius
 Montesquieusius **6, 5**
 Musae **2, 5; 10, 7; (10, 9)**
 Nonius Marcellus **12, 7; 12, 8**
 Orbilius **4, 8**
 Oudendorpius, Franciscus **1, 6;**
 15, 2
 Ovidius **10, 9**
 Parcae **10, 9**
 Perizonius, Iacobus **1, 6**
 Petronius **2, 7; 2, 8; 9, 4**
 Phaedrus **7, 11**
 Plato **7, 1**
 Pluto **10, 9**
 Polybius **11, 3; 11, 10**
 Quin(c)tilianus **8, 4**
 Racine, Jean *v.* Racinius
 Racinius **7, 10**
 Sallustius **11, 10**
 Scaliger, Iosephus **1, 5; 7, 3;**
 8, 9
 Scioppius, Caspar **4, 10**
 Sidonius *v.* Apollinaris
 Sirenes **5, 23**
 Sophocles **5, 11; 7, 10**
 Symmachus **9, 7**
 Tacitus **11, 10**
 Thucydides **11, 10**
 Timon **3, 16**
 Ulysses **5, 23**
 Venus **10, 9**
 Vergilius **4, 9; 5, 21**
 Virgilius *v.* Vergilius
 Xenophon **11, 10**

S U M M A R I U M

Epistula

5

Praefatio

7

Oratio de doctore umbratico

27-54

Adnotationes

55-84

Appendix

85-87

Index

89